CENTRUM VITÆ EUCHARISTICUS ORBIS.

Id est:

DEVOTUS SANCTISSIMI SACRAMENTI CULTUS,

In variis Instructionibus & Affectibus Christianæ Pietati.

PROPOSITUS.

PERMISSU SUPERIORUM.

SANDOMIRIÆ,
Typis S.R.M. Coll; Soc: JESU.
Anno Domini 1728.

Ad Lectorem.

GRatam ac perutilem hanc operam esse judicabis *Lector benevole*, si finem operis hujus spectaveris. *Cultum* tibi defert *Agni Eucharistici* Libellus hic, verum coleris & tu, si dignè, piè ac immaculato corde eundem frequentaveris. Nihil enim gratiùs Divino cordi præstare poteris, quam ut DEUM eâ reverentiâ reverearis, quâ dignus est: eô cultu prosequaris, quô coli cupit DEUS: eô amore ames, quô te sibi infinitis planè obligavit beneficiis. Quod ut perfectiùs præstes, animum instruas, quâ id ratione prosequi possis. Regulæ quædam tibi proponuntur, quibus modis ritè

❧❧❧(✠)❧❧❧

tum Confessionem absolvere, tum Mensam Eucharisticam frequentare. ac Indulgentias, quæ certis diebus Communioni Sacramentali sûnt annexæ, consequi possis. Incumbet tibi Regulas has præsertim de Confessione revolvere, memoriæq; mandare, ut sic instructus saluti tuæ securè provideas: fieri enim solet, ut quandoq; sine gravi noxa Sacrum pænitentiæ aggrediaris Tribunal, cum ea vero recedas ab illo, quando id omittis, quod omnino præstare debes. Proinde ne gratiâ DEI abutaris, diligenter utere operâ hâc, ut consequaris centrum vitæ, Deum T. O. M. & vivas, hic finis operis hujus sit.

Vale.

INSTRUCTIO
Pro
Sacramento Pænitentiæ.

1. *Quid, & quàm utile sit hoc Sacramentum?*

PÆnitentiæ Sacramentum eſt, in quo Sacerdotalis abſolutio à peccatis, quæ deteſtatus, riteq; confeſſus quis fuerit, impenditur. *Trident. Seſſ.* 14. *cap.* 1. *& Seſſ.* 6. *cap.* 14.
Et per hoc Sacramentum non ſolùm remittuntur peccata. ſed gratia inſuper peculiaris [quæ ſummus animæ Theſaurus eſt, & ſemen æternæ gloriæ] confertur. Ex *quo patet, quam utilis ſit crebra confeſſio.*

2. *Quid requiratur ad hoc Sacramentum?*

Tria sunt, quæ ad hoc Sacramentum requiruntur: CONTRITIO, CONFESSIO, *&* SATISFACTIO, *Audi S. Chrys: Sermon. de Pœnitent.* Cuntritio sit in corde, in ore Confessio, in opere tota humilitas; ut quibus modis DEUM offendimus (offendimus autem corde, ore, & opere) iisdem reconciliemur DEO: corde quidem per Contritionem, ore per Cōfessionem, opere per satisfactionem.

3. *Quid sit* CONTRITIO.

Alia est Contritio perfecta, *alia* imperfecta, *quæ dicitur* Attritio. Contritio perfecta est Filialis dolor, & detestatio peccati, proficiscens ex motivo sinceri amoris erga DEum offensum. Contritio imperfecta, *seu* Attritio est dolor de peccato quodammodo servilis, ex timore scilicet gehennæ promeritæ, aut Cæli amissi vel ob fæditatem peccati. *Quantum autem Filius præstat servo, tantùm* Cōtritio Attritioni.

4. *Quæ*

4 *Quæ sit vis* CONTRITIONIS?

Contritio perfecta *semper iustificat etiam sine Sacramento, unde si quando non est copia Confessarij, etiam sine Confessione salvari possumus per solam* perfectam Contritionem, *quæ tamen semper includit votum, seu desiderium omnia peccata confitendi, ad quod explendum datâ ocasione obligamur. Utile est assvescere eliciendæ sæpius Contritioni* 1. *Ut ne morte inopinata obruti, æternum damnemur.* 2. *Ut bonorum operum nostrorum, semper habeamus optatum fructum; ista enim mortua sunt, nobisq; ad augmentum æternæ salutis non prosunt, quamdiu sumus extra gratiam Dei. Ideo tamen non solum ómittenda bona opera in statu peccati mortalis: sed tunc vel maximè illa exercenda sunt, ne prorsus nos* DEUS; *abijciat, & impletâ scelerum nostrorũ mensurâ (quam aliis arctam, aliis ámplam indulget) æternum da-*

movet. Movetur praterea Deus bonis operibus peccatoris, ut illi det gratiam pœnitentiæ & seriæ conversionis, & à gravioribus malis eundem liberet. Nonne vidisti [ait Dominus ad Eliam 2. Reg. 21. 29.) Humiliatum Achab coram me, [gravissimum hic Rex furtum & homicidium, cum scandalo totius populi commiserat] quia igitur humiliatus est mei causa, operuit enim cilicio carnem suam, ieiunavitq; & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite [Ibid. vers.) 27. non inducam malum in diebus eius, &c.

5. *Quomodo eliciatur CONTRITIO?* Potest illa vel unicô suspiriô cum, vel sine verbis elici, v. g. Amo te Deus Summum bonum meum super omnia, ideoq; ex animo doleo, quod Te unquam offenderim, propono feriam emendationem, confessionē & satisfactionem, &c. Sed ad affectum inte-

interiorem DEUS *potissimum attendit.* Peccavi Domine *ait David reus adulterii, 2. Reg. 12. 13. Et statim audivit à Nathan Propheta:* Dominus quoque transtulit peccatum tuum. *Utique Amorem Dei offensi, propositum emendationis & satisfactionis David animô perfectissimè conceperat, etsi illa verbis non expresserit. Proinde qui voluerit* Contritionem perfectam *elicere, non tam de verbis, quam* affectu *veri* amoris & doloris *sit solicitus.*

6. Non est fidendum elicitæ Contritioni neglectâ emendatione

Qui liberè præsumeret peccare, illâ fiduciâ fretus, quòd post commissum scelus & in vitæ periculo constitutus, velit elicere actum Contritionis, Deo illudere & quodammodo insultare videretur, & qua ratione is singularem illam gratiam Dei, quæ ad Contritionem eliciendam requiritur, sperare potest? Nolite errare (*ait Apost. Gal.6.7.*) Deus non irridetur.

7. Quantum valeat ATTRITIO?

Non potest quidem Attritio (*uti dictum est de* Contritione *nos in peccato mortali existentes, Deo sine Confessione Sacramentali conciliare : cum hac tamen coniuncta, ad id præstandum sufficit. Quæ doctrina conformis est Concil: Triden: loc: cit: Quod idem docet, dolorem hunc necessarium nos suscitare, considerando peccatorum fœditatem, magnitudinem; summam Dei offensi bonitatem, gratiam illius, cæteraq; bona æterna, & inæstimabilia &c.* Cogitabo pro peccato meo, *ait David Psal.* 37. 19.

8. Qualis sit Confessio, quæ sit sine vera Contritione aut Attritione?

Talis Confessio [*inquid S. Bernard Serm.* 16. *in Cant.*] non solum veniā non meretur, sed & provocat iram. *Proindeq; melius omitteretur. Quidam tantùm solliciti sunt, ut omnia peccata sua recenseant Sacerdoti, de sincero dolore, firmoque emendationis proposito*

non

non magnoperè laborant, cùm tamen hæc posterior, aquè necessaria, & essentialis pars Confessionis sit, quam peccatorum enumeratio. Audi eundem S. Bernard. l. cit: Nunquid profuit Sauli, quod se ad increpationem Samuelis peccasse confessus est? culpabilis procul dubio, fuit illa Confessio, quæ culpam non delevit, *ob defectum videlicet Cordis Contriti & humiliati. S. Aug. Serm. 7. de temp. init:* Pænitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor DEI. *Idem lib. de vera & falsa pænit. post init.* Salvatur peccator, quia dolet: liberatur, quia pænitet.

9. An præsumi possit, sufficientem illos dolorem elicere de peccatis, qui ferè semper cum iisdem mortalibus peccatis ad Confessionem redeunt?

Respondet S. Aug. Ser. 7. de temp. init: Multi assiduè se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio

accusatur anima, non sanatur. pronuntiatur offensa, non tollitur, &c.

Huic consentit S. Gregor. hom. 34. in Evang. Pænitentiam agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare; qui sic alia deplorat, ut tamen aliá cōmittat, pænitētiā agere aut dissimulat, aut ignorat.

10. Non est peccandum spe Misericordiæ obtinendæ.

Multi, ut libertati peccati patrocinentur, extollunt divinam misericordiam, cujus ianuam omnibus peccatoribus, omni loco & tempore asserunt patere, &c. Sed hanc ita extollunt, ut iustitiam Divinam *velint oppressam, infinitaq; DEI bonitate, in æternam sui perniciem abutantur, dum hâc freti gravissima quæq; peccata repetere non verentur. Considerent illi obsecro, an aliquos in Sacris paginis reperiunt, qui per pænitentiam DEO reconciliati, postmodum fuerint in priora scelera relapsi! Num David, Achab, Manasses,*

Magda-

Magdalena, Petrus, Latro, Paulus, &c. Post conversionem suam pristina pecca-ta repetiverunt? His tamen exemplis, Divinæ Misericordiæ abundantiam de-monstramus. Rectè proinde Siracides monet Eccl 56. Ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira, ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius, *Et cap.* 13. .1 Fili peccasti? non adijcias iterum: sed & de pristi-nis deprecare, ut tibi dimittantur.

11. Non est differenda pænitentia.

Manassis Regis Filium Ammon, ait Clemens l. 2. *Const. cap.* 28. *sese ad pa-tranda liberè flagitia his verbis animas-se*: Pater meus Manasses plurima in Juventute sua commisit scelera, & postquam senuit, egit pænitentiam hnius ego vestigiis insistam, &c. *sed; neq: ætatem Patris* [*qui regnavit an-nis* 55.) *neq; gratiam pænitentiæ obti-nuit, secundò enim regni annô, vix com-*

pletô, à servis suis interfectus, miserè periit. Non tardes *ait Siracides Eccle:* 5. 7. converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. *Putasne aliâ tecum viâ DEum processurum? tibiq; minus mali, quam cæteris eventurum? Dicis, cras convertar,* converso tibi indulgentiam DEUS promisit, sed crastinum diem tibi nemo promisit. *S. Aug.* 59. *de verb. Domini. Audi vocem clamantis in deserto Mat.* 3. 7. Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pænitentiæ. Nisi *enim* pænitentiam habueritis [*sc: tempestivè*] omnes similiter peribitis *Luc:* 13. 3. Quid in diem crastinum differs? (*ait S. Amb: Epist:* 82.) cavendum est, ne & aliū non teneas, & hodiernum amittas. Hac *enim* percutitur animadversione peccator ut moriens obliviscatur

sui;

sui, qui dum viveret [*sanus*) oblitus est DEI, *S. Aug. hom:* 41. *&* 50. *Nam* pænitentia (*ait idem Serm:* 57. *de templo in fin.*) quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pænitentia, quæ à moriente petitur, timeo ne ipsa moriatur Ideo quicunq; invenire vult misericordiam DEI, Sanus agat pænitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro.

12. Non illo fine hæc dicta sunt, ut ad desperátionem impellamur; sed ut pænitentiam à quâ salus nostra dependet, benè & maturè exercere nitamur.

Nemo unquam quantum libet gravium & multorum peccatorum reus arbitretur actum esse de salute sua. Si enim impius [*ait Dominus Ezech* 18. *v.* 2.) egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia peccata mea, & fecerit Judicium, & iustitiam: vitâ vivet, & non morietur, omniũ iniquita-

iniquitatum eius quas operatus est; non recordabor. *Confirmatur Ibidem cap.* 33. *v.* 11. Vivo ego *dicit Dominus DEus* Nolo mortem impii, sed ut cōvertatur impius à viâ suâ & vivat. Convertimini convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini? impietas impii non nocebit ei in quacunq; die conversus fuerit, &c.

De CONFESSIONE.

13. Confessio quoq; seu manifestatio peccatorum ad hoc Sacramentum necessaria est.

Ut peccator DEO reconcilietur non sufficit Confessio quæ Solo corde *aut* Soli DEo *fit, sed requiritur etiam Confessio* Oris *coram legitimo Sacerdote. In veteri lege hujus Confessionis figuram habemus. Præcepit enim Dominus num.* 56. Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur

peccatum ſuum. *Tempore Apoſtolorum huius fuit uſus Act.* 19. 18. Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes Actus ſuos. *Urget Confeſſionem Apoſtolus Jacob: in Epiſ: cap.* 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra: Si enim confiteamur peccata noſtra (*ait dilectus Chr,ſti diſcipulus S. Joan:* 1.9.) Fidelis eſt & iuſtus (*Deꝰ*) ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. *Accedunt SS. PP.* Si erubeſcat (*verba ſunt S. Hier. in Eccl. cap:* 10.) ægrotus medico confiteri, quod ignorat, medicinā non curat. *Culpat S. Amb: lib:* 1. *de Pæn: c.* 2.) *Illos qui aiunt* ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatē reſervent. Neceſſariò [*inquit S. Baſil. in Reg: Breviar:*) iis peccata aperiri debent quibus credita eſt diſpenſatio Myſteriorum DEI. *Accedit S. Aug: Tom:* 9. *l. de Viſit' infir: c.* 23. ſunt quidam qui ſufficere ſibi ad ſalutem au-

tumant, si soli DEo, cui nihil occultum est, quem nullius latet Conscientia, sua confiteantur crimina: Nolunt enim; aut erubescunt, sive dedignatur ostendere se Sacerdotibus &c. sed nolo ut istâ decipiaris opinione. Cicatricum tuarum arbiter, DEi vice adhibeatur Presbyter, & revela ei vias tuas *&c.*

14. Quális debeat esse Confessio?

1. *HUMILIS. Exemplum sume à* Magdalena, *ad pedes Christi provolutâ*, à Prodigo, *ad pedes sui Patris prostrato.* à Publicano, *non audente oculos in Cælum attollere.* Non potuisset non placari DEus (*inquit S. Ber: serm:* 16. *in Cant:* Cum Saul ad increpationem famulis se peccasse confessus est 1. *Reg:* 15.24. Si quæ in ore sonuit, in corde radiasset, humilitas autem dat gratiam *Jacob* 4.6.

2. *SIMPLEX.* Nam peccata excusare, alleviare, adumbráre *&c.* [*ut docet S. Ber: Ser;* 16. *in cant:*] Non

Con-

Confessio est, sed defensio: Non placat, sed provocat: Genus excusationis est, cum tu argueris, alium incusare. *Id quod imprimis Parentibus nostris Adam & Eva deplorat S. Chrisost: in Psal:* 140. Cum oporteret illos *simpliciter* dicere PECCAVIMUS: Adam in Evam confert culpam, & illa rursus in diabolum. Atque ita non solum non confitentur sed etiam defensionem comparant &c. vide David nullam excusationem ad ferentem, quando peccavit, sed dicētem: PECCAVI DOMINO. Multi (*ait S. Aug. Hom.* 12.] sic confitentur ut ipsum Sathanam accusent, quasi revera traxerit eos, aut violentiam fecerit: qui quidem svadere & sollicitare potest, cogere omninò non potest. *Sit ergo Cofessio simplex sui, non aliorum excusátio, vitata excusatione, &c.*

3. *BREVIS. Sine historiis et ambagibus non necessariis iis maximè quibus*

alij

alij incusari & infamari possent, non sine periculo committendæ gravis detractionis, tam enim in Confessione quisq; aliorum honori tenetur parcere, quam extra illam.

4. CLARA. Vitando verba & modos loquendi æquivocos, dubios, universales, &c. ex quibus nihil certi potest cognosci. Non homini sed Deo (quem nihil potest latere) confiteris. Ita proinde recense omnia prout DEo scis esse nota & à conscientia tua dictantur. Hanc circumstantiam non observant qui vg. in Confessione dicunt se malas habuisse cogitationes neq; significando, quales eæ fuerint, neq; addendo, an consensum iis dederint aut negarint &c. malæ enim cogitationes etiam Sanctos possunt invadere, qui illos repellendo aut supprimendo, non modo non peccant, sed & præmium æternamque gloriam merentur.

5. INTEGRA. Ita ut omnia & singula peccata gravia, quorum quis potest

tis sit recordari pandantur. Non enim sanatur æger qui non omnia lethalia corporis sui vulnera patefacit chirurgo. Orig: Hom: 3. in Levit: Cuncta *ait* pronuntianda sunt, quæ egerimus. Si quid in opere, in sermone solo, *v.* intra cogitationum secreta commiserimus necesse est proferri. &c: *Clarius S. Aug. lib. 2. de visit: infir: cap.* 5. Confitere, quæ te remordent flagitia detege specialiter, quæ scis specialia. *Additô numerô peccatorum de quibus scitur vel saltim dubitatur, esse gravia; cum circumstantiis speciem mutantibus* vel *notabiliter aggravantibus.*

6. *VERECUNDA. S. Amb: lib: de Cain & Abel cap* 7. Erubescere debemus, & condemnare peccatum, quoniam pudore culpa minuitur. ERUBESCENTIA ipsa (*inquit Aug. lib: de vera & falsa pænit. c.* 10.) partem habet remissionis. *Et hæc est* Confusio adducens gloriam & gratiam.

tiam *Eccl.* 4. 24. Est *etiam* Confusio adducens peccatum *contra* quam *Siracides ibidem sic hortatur*. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. *S. Chrysostom: Hom:* 33. *in Ioan*: In peccatis, quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur, Deum duntaxat ut decet formidemus. *S. Aug: in Psal:* 66. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus, damnaberis tacitus: qui posses liberari confessus. *Et lib.* 2. *de Visit. Inf. cap.* 5. Heu cur erubescis Confiteri quod facere nequaquam erubuisti, melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare quam die iudicii coram tot millibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere.

7. *FIDELIS. Certa, ut certa, dubia, ut dubia enuntians, aliena verò, ab omni dolo.* Sacerdotes enim *ait S. Ambros: Epis:* 3. *ad simp.* non auferunt peccatum ejus, qui in dolo se offert, si

adhuc in studio deliquendi est. *Sit deinde fidelis, ut non diffidat de venia obtinenda S. Ber. ser. 16. in cant.* Sit fidelis Confessio, ut confitearis in Spe, de indulgentia penitus non diffidens. Judas proditor Domini, Cain Fratricida confessi sunt, & diffisi sunt. Nil profuit eis infidelis Confessio.

15. Tertia pars Sacramenti Confessionis quæ est.

SATISFACTIO.

Ad Confessionem quoq; pertinere satisfactionem hoc est expletionem piorum operum vel à Confessario injunctorum (*qua* pænitentiam *vocant*) *vel ultro susceptorum. Ecclesiæ Catholicæ doctrina est, vide Trid. Sess.* 14. *cap.* 8. *contra Novatores qui volunt*, culpam à Domino nunquam remitti quin universa etiam pæna condonetur. *Porro Concilium ibidem ostendit in fine Cap. citatô* Ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti & satisfactionis Domini Nostri JESU Christi

nec

nec obscurari, nec aliqua ex parte imminui. *Imò ait ibidem in medio cap.* dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo JESU (qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est) conformes efficimur certissimam quoque indè Arrham habentes, quodsi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum JESVM. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus: Eô cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & pru-

prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentias cum pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur: Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat sed & ad ligandum concessæ. *Exiguâ pænâ in hac vitâ sponte susceptâ gravissimos Purgatorii cruciatus evadimus. Hoc enim tempus gratiæ est, illud rigorosæ justitiæ S. Aug.* Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat DEo per

pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleëmosinis. *S. Hieronymus Epist. 27. ad Eustach*: Affligendum corpus quod multis vacavit deliciis, longus risus perpeti compensandus est fletu, mollia linteamina, & serica pretiosi ssima asperitate cilicii commutanda.

S. Ambros. ad virg. lapsam c. 9 Qui agit pænitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis, operire & tegere delicta superiora. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem *S. Greg. hom. 34. in Evang.* Qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, qua tenus per hoc Conditori suo satisfaciat. *Etiam satisfacimus, flagella à Deo nobis immissa, humiliter patienterque tolerando.*

INCITAMENTUM ad CONFESSIONEM, *Ex S. Greg. Nyssene, S. Basili Magni*

Fratre

Fratre germano orat. in eos, qui alios judicant acerbius, ad fin.

Afflictionis tuæ participem & socium sume Sacerdotem, ut Patrem: Quis enim tam falso nominatur Pater, aut tam durô atque adamantinô animô præditus est qui non Filiis mærentibus doleat & gaudentibus lætetur. Sacerdos ita tristatur ob peccata illius, quem propter Religionem habet loco Filii, ut Jacob visâ tunicâ Joseph sangvine conspersa: ut David luxit Absalonis interitum: ut Heli Ophnim & Phineen, qui in acie ceciderant: Moyses impium populum, qui rerum novarum studiosus vitulum sibi conflaverat: Quamobrem major tibi in eo fiducia sit qui te in Christo genuit, quam illis à quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita animi arcana, tanquam in occulta vulnera, medico retege; ipse & honoris & valetudinis tuæ ra-

tionem habebit. Filiorum dedecore magis moventur Parentes quam ipsi Filii. Nam ut Filiorum gloria, ad Parentes pertinet, sic etiam dedecus & turpitudo. Incertus est Fratres terminus vitæ, discessum è vita diligentiâ prævertamus, &c. *Sic pergit nos adhortari ne Confessionem aut horreamus aut differamus.*

Tabula Peccatorum.

Hanc Tabulam pœnitens diligenter percurrat, & ad singula se reflectat numquid contra præcepta DEI Ecclesiæ, &c. [*quæ inferius posita sunt*] *peccatum sit: seriumq; examen instituat ut circa peccata gravia numerus & circumstantiæ notabiliter aggravantes, aut speciem malitiæ mutantes necessarió explicentur. Nec reticendum est si alios ad flagitia seduxerimus vel scandalum dederimus &c.*

COGITATIONES

Toties --- inhæsi voluntariè, cum consensu cogitationibus.

Superbis.
Otiosis.
Vagis *in oratione*
Impuris
Cupidis
Invidiosis
Iracundis cum odio
Vindicativis
Suspiciosis cum temerario judicio
Fraudulentis
Blasphemis
Hæreticis
Desperabundis

VERBA

Toties --- cum scandalo vel de-

Otiosa
Iactatoria
Superba
Impudica
Irrisoria
Maledica
Execratoria

trimento proximi locutus sum verba. Blaſphema
Detractoria
Contumelioſa
Mendacia cum juramẽto
Jronica
Fraudulenta
Adulatoria
Seductoriá.

OPERA

Fui otioſus
Neglexi *iſta --*
Pecuniam *inutiliter impendi*
Orat: *ad quas obligor omiſi.*
Concionem *neglexi*
Dies feſtos *male impendi*
Jeiunia *violavi --*
Superbus fui *in veſtibus.*
Toties --- peccavi his operibus. Avarꝰ & durꝰ in pauperes
Impudicꝰ *mecũ vel cũ alijs*
Intẽperans *in cibo potu &c.*
Segnis *in rebus divinis*
Injuriam feci *talem ---*
Furatus ſum *tantum ---*

Fraudes

Fraudes exercui
Læsi in corpore vel *honore* alium
Inobediens fui
Contumax
Seduxi alios
Scandalum dedi
grave - - ; tot alijs.

PRÆCEPTA DECALOGI

1. EGo sum Dominus DEUS tuus: Non habebis Deos alienos coram me. Nec facies tibi sculptile ut adores illud.

2. Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum.

3. Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

4. Honora Patrem tuum & Matrem tuam ut sis longævus supra terram

5. Non occides.

6. Non mæchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loqueris contra proximũ tuum falsum testimonium.

9. Non concupisces uxorem proximi tui.

10. Nec concupisces domum nec agrum nec &c.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

1. STatutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

2. Sacrum Missæ Officium diebꝰ festis reverenter audito.

3. Indictà certis diebus jejunia & à quibusdam cibis abstinentiam observato.

4. Peccata tua Sacerdoti proprio aut alteri cum ejus facultate singulis annis confitetor.

5. Sacrosanctam Eucharistiam minimum semel in anno idq; circa festum Paschæ sumito.

PECCATA CAPITALIA.

1 Superbia. 2. Avaritia. 3. Luxuria. 4. Invidia. 5. Gula. 6. Ira. 7. Acedia.

PECCATA In Spiritum. S.

1. Præſumptio de miſericordia Dei vel de impunitate peccati. 2. Deſperatio. 3. Agnitæ veritatis impugnatio. 4. Fraternæ Charitatis invidentia. 5. Obſtinatio. 6. Impænitentia.

Peccata in Cælum clamantia.

1. Homicidium voluntarium. 2. Peccatum Sodomiticum. 3. Oppreſſio pauperum, viduarum atq, pupillorum. 4. Merces operariorum, defraudata.

Peccata aliena quæ committuntur.

1. Conſilio. 2. Juſſione. 3. Conſenſu. 4. Irritatione. 5. Laudatione. 6. Reticentiâ. 7. Conniventiâ. 8. Rei alienæ participatione 9. Alieni peccati defenſione.

Reme-

Remedia generalia contra omnia peccata.

1. FRequens & accurata Confessio apud eundem Confessarium piusq; Sacræ Eucharistiæ usus. 2. Quotidianum Conscientiæ examen ferrensq; in hoc & per diem Contritionis exercitium. 3. Fuga otij occasionum & societatum quibus ad peccandum induci solemus. 4. Custodia externorum sensuum maxime oculorum, lingvæ manuum, & aurium. 5. Attenta Concionum auditio. 6. Quotidiana librorum Spiritualium lectio. 7. Sedula & devota oratio. 8. Memoria præsentiæ Dei, B. Virginis, Angeli Custodis &c. 9. Meditatio de vita & maximè de Passione Christi, de morte, judicio, inferno, & Cælesti gloria. 10. Crebra Dei per pias aspirationes invocatio. 11. Corporis afflictio per jejunia, cilicia, disciplinas &c. item eleemosinæ aliä

aque

que charitatis & misericordiæ opera. 12. Resistentia in principio tentationis.

Affectuosa dispositio pœnitentis ad Confessionem attentè & reflexè peragenda.

1. *Dispertire totum tempus A novissima Confessione in certa spatia, tum menses, hebdomadas, & dies singulos percurre, qualibus cogitationibus verbis & operibus usus fueris quibus te peccatis contaminaveris, quibus cum Personis, quo loco.*

2. *Postea institue Comparationem inter DEum & teipsum, inter opera ejus & tua Quis peccavit?* ego quoddam phantasma horror & fætor & pene nihilum. Ego fons malitiæ, sentina pravæ concupiscentiæ, ego vermis terræ vilissimus, damnationis æternæ pridem reus, sponsa adultera. *In quem peccavi?* In Deum Creatorem, Summum bonum? amorem infinitum, Peccavi filius in optimum

Pa-

Patrem : ſervus infidelis in benigniſſimum Dominum : vilis & abjecta creatura in conditorem Vniverſi. Peccavi in eum, Cui Angeli ſerviunt, Cui omnes creaturæ obediunt, illi ego ſolus fui refractarius. *Quid peccando feci?* Animam meam interemi & ad infernum detruſi. Chyrographum meæ fidelitatis conſcripſi dæmoni ex corde meo Angelos exturbavi. Heu! quis unquam crederet ipſum Spiritum Sanctum à me expuli, & libellum repudij dedi Deo. *Cur peccavi?* Ob res caducas & viliſſimas propter obſcænam voluptatem, pro luto & cinere. Sine metu, ſine horrore peccati, in præſentia DEi, ac ſi unius idoli, quo tempore à DEo conſervabar & beneficiis obruebar.

3. *His per actis imaginare tibi SS. Angelos te fugere, contra te inſtigare ipſam B. Virginem, te ultra pati non poſſe,* SS. *Omnes te abominari.*

4. Insuper concipe affectum adhuc majoris timoris, quia ipse DEus te detestatur, ac iratus præcipit ne coram illo ultra compareas, ne ipsius Creatura amplius dicaris.

5. Deinde convertere ad Cor tuum, illudq; de duritia sua increpa, quod nihil tot considerationibus emolliatur. Invoca contra illud in testimonium Cælum, terram, Elementa, & Creaturas omnes sicq; coram illis conquerere, cor tibi esse lapideum.

6. Post hæc tunde pectus tuum, perseverans in oratione, & compunctione, brachia im modum Crucis componens, imaginem Crucifixi intuere

7. Ad extremum humi prostratus cum gemitu cordis plora clamans; O Domine pietatem, lacrymas, Contritionem, Misericordiam, & veniam humiliter efflagito qui veniam publicanis, meretricibus, latronibus, prædonibus, non denegasti. Ne patiaris me diutius præ contritionis desi-

...io langvere aut interire. Pr...
...cor meum mala, quæ non fu...
...andatus facere in facie Cæl...
Video ah me! averſum tui mi Deu...
...a vultum, heu! quis me liberabi...
a perditione mala hac? quis plac...
bi, vidi diem DEum? plorans plo...
rabit anima mea, gemens ſub pon...
dere peccatorum. Quid tamen fa...
ciam o Pater, ego rebellis ac prod...
gus Filius, Patri recalcitravi, Dom...
no non ſervivi, Creatorem non ...
gnovi imo offendi, Cælo excidi, te...
ra ſub ingrato pondere meo gemi...
expecto donec me dehiſcat intern...
Ah! damnum filii ego titulum pro...
ſus deperdidi, ſed an tu Patris? T...
tamen Pater es, qui facis oriri ſole...
ſuper bonos & malos, aperi igit...
piiſſime Pater, aperi neminem d...
ſpicientes oculos tuos, vide indign...
quidem viſu, tamen filium ad te...
Pater recurrentem, audi confitent...
Peccavi coram Cælo & terra & ...
Pater!

Pater! non amplius tamen non amplius, malo millies mori, quam Te offendere, hic ſit terminus delictorum meorum.

Actus Cõtritionis ex doctrina Cõc: Trid:

SAnctiſſima TRINITAS DEus meus, credo firmiſſimè, & ſuper omnia, te Deum meum & culpis noſtris offendi, & pænitentia placari, credo, & profiteor remiſſionem peccatorum, & Sacramentum pænitentiæ ad eandem remiſſionem peccatorum noſtrorum à Domino noſtro JESU Chriſto inſtitutum &c. Credo inquam, propter ſūmam illam veracitatem, quâ hæc omnia revelaſti, & per Eccleſiam credenda propoſuiſti.

Timeo equidem à judiciis, ex te revelante, eſſe te Judicem, Vindicemque peccatorum noſtrorum rigidiſſimum, Juſtiſſimum non ignorans. Tamen & ſumma tua, ac miſericordiſſima in nos bonitas, & pro-

miſſa à te pænitentibus venia, ſpe
mihi facit firmiſſimam per hoc, qu
cum gratia tua ſuſcipere intend
Pænitentiæ Sacramentum, obtine
dæ remiſſionis delictorum meoru
O Fons omnis boni, amo te, & o
te, juſtifica me: ſum enim omniu
peccatorum maximus.

Deteſtor, & execror ex toto cor
omnia peccata mea, ſuper omn
deteſtabilia, doleoque ſummè, ſu
mam illam ac infinitam bonitate
Perfectionem, excellentiam, ma
ſtatem tuam á me offenſam, qua
amo nunc, & appretio ſuper omn
propter illam metipſam, peto hum
limè veniam, firmiſſimèque prop
no, gratia tua adjuvante, non te u
quam ampliùs offendere, qui om
noſtro amore cultû, obſequiô digni
ſimus es: quia DEUS es, quia id
quod es. *Alii Actus,*

HEu mihi! heu millies dica
peccavi! ſuper numerum aren

maris multiplicatæ ſunt iniquitates meæ! Non eſt peccatum ſupra peccatum meum! Non eſt iniquitas ſuper iniquitatem meam! indignus ſum miſerationibus tuis Domine, ſed miſericordia tuá ſuperat malitiam meam. O Pater miſericordiárum patientiam habe in me & omnia reddam tibi, non de meo, ſed de pretio Sangvinis Filii tui. O Dulcis JESU, quia Te amo, deteſtor omnia peccata mea ſupra quidquid deteſtabile & execrabile eſt. Et ſi poſſem de illis infinitè dolere, ſemper dolerem. O DEus ſumma bonitas omnium creaturarum, Tuoq; ipſius amore infinitè digna, doleo quòd tam impudenter Te offenderim: Doleo, non quia timeo ſed quia amo. Si ſangvine meo fieri poſſet ut non ſis offenſus; ecce me, paratum cor meum: ſi tormentis inferorum deleri poſſit, ecce me: Nullum eſt quod non merui; nullum quod amore tui

non præeligo peccato, quod tanto-
pere odisti. O si omnes præterito
dies, horas, momenta, pro maxim
tua gloria impendissem mi DEUS
O si ex corde perfecto tibi toto vit
meæ tempore servivissem, te inte
sissime amassem! O pretiosum tem
pus non amplius rediturum! *H
peractis omnibus. Perge cum om
compunctione ad pedes Confessarii a
ceptaq; benedictione, recita*: Confit
or &c. *usq; ad* mea culpa *exclusiv
tunc indicato tempore ultimæ Conf
sionis & an injunctam pœnitentiam e
pleveris peccata tua recense juxta i
structionem: dein de his verbis concl
des* meá culpa *usq; ad finem. Pœn
tentiam & admonitionem quam Co
fessarius dederit demisso animo excip
doloremq; piis affectibus, sine tam
strepitu excita*

Actus post Confessionem.

SIt tibi Domine obsecro, merit
Beatæ semper Virginis Genitric

tuæ

Tuæ MARIÆ, & Omnium Sanctorum grata & accepta ista Confessio mea: Et quidquid mihi defuit nunc & alias de sufficientia contritionis, de puritate & integritate Confessionis suppleat pietas & misericordia tua: & secundum illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs absolutum in Cælo. Qui vivis & regnas &c.

Actus post Confessionem.

O DEUS meus misericordia mea! quis sum ego homo miser & miserabilis ut memor sis mei, imo vermis sum ego & non homo, omnium malitiosissimus, & ingratissimus. Et dignum ducis super hujusce modi peccatore, aperire oculos & vel semel respicere de summo Cælorum, quis hoc effecit o sponse animæ meæ quia me ingratissimum hominem, me vilissimum terræ munciorem, me vilissimum terræ vermiculum tam benignè respexisti, ad pænitentiam vocasti, & in gratiam

am ut ſpero ac in dilectionem tuam recepiſti?

Quoties vero o inexhauſta bonitas! in ipſis peccatis morti me in ſpolium permittere potuiſſes & æternùm perdere & hucusq; tamen conſervaſti? Et nunquid millenæ animæ in igne extingvibili jam ardent æternumq; ardebunt & minorum & pauciorum quam ego ſcelerum reæ? & ego nondum ardeo toties læſæ reus Majeſtatis? O Domine quamdiu halitus erit in ore meo, miſericordias tuas in æternum cantabo. Benedicam te Dominum meum in omni tempore, ſemper laus tua in ore meo, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis & ſanas omnes infirmitates meas, qui redimis de interitu vitam meam & coronas me in miſericordia & miſerationibus? Quis ergo me amplius ſeparabit à te o bone Jesu? an diabolus? an Caro? an mundus? an tribulatio? an voluptas? an amor?

nihil

nihil horum cum gratia tua mi Deus! O utinam nunc mi JESU opere monstrare possim quod abhinc sincerè te ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus amem? utinam meus amor in te adæquet omnium Seraphinorum omniumq; electorum in cælo & in terra ardentissimum amorem? utinam prius moriar in gratia tua quàm vel unico iterum peccato te offendam.

Quod vero mi Deus ad dignos pænitentiæ & satisfactionis fructus faciendos ex mea parte vel intermissum vel imperfectè peractum, obsecro mi IESV amantissime suppleant tua vulnera, suppleat tuus sangvis, tuæ lacrymæ, tua mors, suppleant merita totius triumphantis & militantis Ecclesiæ Amen.

INSTRUCTIO
Pro
Sacramento Euchariſtiæ.

1. *Quid ſit hoc Sacramentum & in quem finem à Chriſto inſtitutum?*

DEclarat *hoc Concilium Tridentinum ſeſſione* 13 c. 2. *Verb. ſequet*: Salvator noſter diſceſſurus ad Pátrem ex hoc mundo, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum: & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit ſuamq; annuntiare mortem donec ipſe ad judicandum mundum veniat, ſumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam Spiritualem animarum cibum, quô alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit; qui manducat me & ipſe vivet propter me, & tanquam Antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mor-

mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis &c.

2. *Quam sit necessaria homini hujus Sacramenti perceptio?*

Nisi manducaveritis (verba Christi sunt Ioan: 6.) Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sangvinem non habebitis vitam in vobis. *Nam* panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. S. *Cypri de Cœna Domini* sicut panis communis quem quotidie edimus vita est Corporis: ita panis iste supersubstantialis vitæ est animæ & sanitas mentis; *vide proinde ne hujus cibi neglectus, te cum Propheta regio exclamare cogat.* Percussus sum ut fænum, & aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.

3. Quas utilitates afferat homini cibus Eucharistiæ?

1. *Conjungitur homo per hunc cibum intimè Christo secundum animam*

& corpus, prout ipse disertis verbis asserit Joan. 6. Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sangvinem in me manet & ego in illo. *Quod agnoscit S. Chrys: dicens*: Cum suum in nos amorem vindicare vellet per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut Corpus cum capite uniretur: hoc enim amantium maximè est. Cibus hic Sacramentalis Christophoros [ut vult S. Cyrill: & ut loquitur S. Petrus 2. Petr: 15] divinæ naturæ consortes nos efficit.

2. *Quotidianas animi sordes eluit vulneribusq; (quamvis non lethalibus) medetur ita S. Cyprianus de Cæna Domini*: Panis iste supersubstantialis ad totius hominis vitam salutemq; proficit, simul medicamentum ad sanandas infirmitates, purgandas iniquitates existens. S. *Ambr. lib. 1. de Sacr:* C. 4. Qui vulnus habet medicinam quærit: vulnus est, quia sub

pecca-

peccato ſumus, medicina eſt Cæleſte & venerabile Sacramentum.

3. *Coercet pravos animi & corporis motus, præſervatq; à lapſu in gravia peccata S. Ber. de Cæn. Dom.* Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & ſenſum minuat in minimis & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Menſa hæc Euchariſtica *inquit S. Chryſoſt. hom: 24. in 1. ad cor:* Animæ noſtræ vis eſt, nervus mentis, fiduciæ vinculum, ſpes, ſalus, lux & vita noſtra. *Idem in illud Pſal: 23.* Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me. Qui ſunt iſti qui tribulant nos? Suggeſtiones inimici exagitationes, cupiditates, voluptates ſæculi honores &c. Sed ad menſam potentis &c tribulationes, efficiuntur conſolationes: auferuntur ea quæ ſunt carnis, infundutur ea quæ ſunt Spiritûs.

4. Ma-

4. *Majorem DEI gratiam nobis conciliat.* Sic enim Christus ait Ioan: 6. Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sangvinem habet vitam æternam. Gratia autem DEI (inquit Apost: ad Rom: 6.) est vita æterna in Christo JESU *Idem agnoscit Ecclesia* O sacrum (*exclamat*) Convivium in quo Christus sumitur, rocolitur memoria Passionis ejus. MENS IMPLETUR GRATIA, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Et S. Cypr: de Cæn. Dom: Sacramentum hoc *ait* tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat.

5. *Accendit in nobis amorem DEI, & ad dura pro Christo subeunda certamina, nos confortat.* S. *Chrys. hom.* 60. *ad Pop.* Tanquam Leones ignẽ spirantes ab illa mensa recedimus tacti diabolo terribiles &c. *Proinde olim Martyribus, dabatur ab Episcopis S. Eucharistia.* Fortibus & viventibus *Ait* S. Cypr: *Epist:* 54. Communicatio

nicatio [hoc eſt Euchariſtia] à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Corporis & Sangvinis Chriſti muniamus. *Ob eandem cauſam Chriſtianis omnibus, extremo Vitæ agoni proximis, datur S. Euchariſtia.*

6. *Confortat nos in Virtutis Studio Refectus enim hoc Sacro cibo cum Apoſtolo exclamat ad Galat.* 2. Vivo ego jam non ego vivit vero in me Chriſtus. *Et ad Galat.* 6. Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Dni &c. Per hanc Sacræ Euchariſtiæ ſumptionem [*ait* S. Cypr. *locô citatô*] ad Deum accedimus, & quæ retro ſunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum hujus mundi, ſed Divitis purpurati delicias contemnẽtes, Cruci adhæremus &c.

7. *Eſt deniq; viaticum noſtræ Peregrinationis in domum æternitatis, & pignus futuræ gloriæ: de quo ſic* S. Chriſ.

*lib.*6.

lib.6. de Sacerdot: Qvi de hac vita migraturi sunt, si mysterii hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes Spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora, satellitum more stipantibus, propter assumptum hoc Sacramentum, hinc recta in Cælum abducuntur. *O Verba summa consolationis! ô vere Sacramentum amoris hoc est amore nostri institutum!*

Quæ præparatio requiratur ad hujus Sacramenti perceptionem?

David Rex, cum se pararet ad Templum DEO ædificandum, & ad hoc admirabilem faceret apparatum, Grande *ait* Opus est, non enim homini, sed DEO præparatur habitatio. *Idem quisq; communicaturus sibi dicat & imprimis conscientiam suam ab omni gravi noxa expurget, juxta instructionem Concilii Trid. Sess. 13. cap. 7. Communicare volenti revocandum est in memoriam præceptum Apostoli 1. Corint.*

11. pro-

11. Probet seipsum homo &c. *Eccle-siastica autem consvetudo declarat, e-am probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Con-fessione, ad Sacram Eucharistiam ac-cedere debeat.* Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi mandu-cat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. *In quæ verba S. Anselm.* In-digne manducat & bibit, qui vel aliquod grave peccatum, velut multa levia commisit. Et non confitetur ea priusquam ad Communionem accedat. Quotidie *autem* delinqui-mus (ut ait S. Greg. in 1. Reg. cap. 1.] quotidie ergo ad pænitentiæ lamenta curramus. S. *Chris vult hom 3 ad popul* ut cogitemus quod illius Corpus, & Sangvinem gustamus, qui in Cælesti-bus sedet, qui ab Angelis adoratur, qui proximè assistit immortali DEI potentiæ, Viva horum omniū fides, lán-

langvens purgandæ conſcientiæ noſtræ ſtudiū, utiq; excitabit. *Concludamus S. Aug. verbis ſerm.* 1. *de Templo.* In Chriſti Corpore *ait* vita noſtra conſiſtit, ſicut ipſe dixit *Joan.* 6. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam.

2. *Exigit hoc Sacramentum humilitatem, quam Chriſtus in ejus inſtitutione oſtendit, cum pedes Diſcipulorum ſuorum lavaret* exemplum inquit dedi vobis ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis. *O quanta Chriſti veri DEI eſt familiaritas! dat enim ſe in cibum hominibus, patiturq; ſe etiam ab indignis ſumi. Præclare S. Aug. in Pſ.* 32. In Corpore & Sangvine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Unde autem commendavit Corpus & Sangvinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis nec manducaretur, nec biberetur. *Fac proinde quod monet Orig. hum.* 5. *in di-*

in diversa Evang. loca. Quando manducas & bibis Corpus & Sangvinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Tu humilians te metipsum imitare Centurionem & dicito: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.

3. *Castô & mundô corpore aequè ac animô, accedendum est ad hoc Sacramentum.*

4. *Animum praesentem & ingens desiderium requirit hoc Sacramentum, ut nimirum totus animus, per pias meditationes & orationes ad illud conversus, nihil aliud appetat.*

Juxta adhortationem S. Chrysost: *hom. cit.* Nemo nauseans accedat, nemo remissus, sed excitati, accensi ac ferventes omnes, &c. Pia autem meditatio, & oratio optatum hunc fervorem excitat. *Ad orationem praeterea postulat* S. *Aug. in Psal.* 98. Nemo ait illam Carnem manducet, nisi prius adoraverit.

5. De-

5. *Deniq; postulat reverentiam huic Sacramento debitam, ut jejuni accedamus juxta instructionem S. Aug: Epist 118. ad Januar.* Ex hoc (nimirum post Cænam Christi cum Apostolis habitam) placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani, prius Dominicum corpus intraret quam exteri cibi.

Quid post Communionem faciendum.

Mira Sacræ Eucharistiæ est virtus, quæ piis meditationibus ac precibus in gratiarum actionem præstitis elicitur, seseq; in os effundit, tanto copiosiùs quantò prolixiùs & ardentiùs nos devotioni impendimus. S. Cyrilli Alex: opinio est Judam nisi impulsu diaboli sumptâ Carne & Sangvine Domini sui statim sese aulâ & domô Cænæ proripuisse, gratiis agendis pioq; Apostolorū sermone neglectis, fortassis in agnitionem perceptæ proditionis, & Sacrilegæ Divini Mysterii participationis

pationis ejusdem virtute pervenisset *Si & tu ab hoc Sacramento fructum non referas, causa est, quod post illius sumptionem gratiarum actioni, quâ par est devotione, te non impendas. Hujus instituendæ modos tibi aliquos subjungo.*

1. *Imitare quinque illa hominum millia qui panibus 5. hordeaceis pasti, Christum in signum gratitudinis Regem creare voluerunt. Quin tu non pane hordeaceo sed Angelico, Carne videlicet & sangvine Christi pastus, eundem Regem cordis & animi tui constituis,, eiq; imperium in omnes sensus ac facultates tuas tradis.*

2. *Patrem familias imitare qui proles omnes convocat jubetq; harum hospitem domi suæ salutare, benevoleque excipere ac honorare: sic tu sensus omnes animiq; facultates ad laudes & gratiarum actiones convoca, his aut similibus verbis*, Venite exultemus Domino &c. vel: Benedic anima mea

Do-

Domino & omnia quæ intra me sunt &c.

3. *Angelos invita, omnesq; creaturas ut tecum laudent & glorificent Deum exemplo trium puerorum eorumq, cantico;* Benedicite omnia opera Domini Domino &c. Laudate Dominum de Cælis &c.

4. *Aperi Christo omnia animi tui arcana ac miserias; imo effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Leva ad Deum manus tuas pro anima parvulorum tuorum id est sensuum qui defecerunt &c. Teren:2.

5. *Totum te offer & dona Christo cum omnibus, quæ in tua sunt potestate, nulla, ne vel minimâ tibi re reservatâ, ita præcipit Siracides Eccl: 35.* Da altissimo secundùm datum ejus. Æquùm enim est, ut te totum tradas Christo qui se totum in hoc Sacramento tradidit tibi. *Plures alios modos agendi gratias devotionemq; fovendi pia mentis affectio suggeret.*

Quam

Quam crebrò fit communicandum?

Circa Ecclesiæ primordia ait Lucas Act. 3.46. Quotidie perdurantes Christi fideles unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, *scilicet Eucharisticum, sumebant cibum hunc Angelicum, cum exultatione & simplicitate cordis collaudantes DEum &c. Hoc fervore (quæ humana est inconstantia nimis postmodum remittente, Ecclesia præcepit, ut omnes fideles, qui ætatem sufficientem haberent, minimum semel in annò idq; circa festum Paschæ Sacram Eucharistiam sumerent. Hortatur verò ad crebriorem ejus sumptionem S Ignatius Apostolorum Discipulus Ep. ad Ephes:* Date (inquit) operam, ut crebriùs congregemini ad Eucharistiam & gloriam DEI. Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Sathanæ, & ignita illius ad peccatum jacula, irrita resiliunt.

Quot?

Quoties autem & quando Communicare expediat definit S. Aug: Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo nec reprehēdo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum svadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccati sit. *Ita & S. Hieron. loquitur in Apost: ad Pamnach.* scio Romæ hanc esse consvetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant quod nec reprehendo nec probo &c. sed ipsorum conscientiā convenio &c. probet se unusquisq; &c. *Bené verò monet S. Hilar: de Consēd: l. 2.* Timendum est ne diu abstractus à Corpore Christi alienus remaneat à salute; qui peccare quieverit, communicare non desinat. Accipe quotidie (*ait S. Amb: l. 5. de Sacr.*) quod quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere &c. Quomodo Job Sanctus pro Filiis suis quotidie offerebat sacrificium &c. *sed concludamus ad mentem S. Aug.*

Aug:Cui cõsentit S.Iustinus Apol.2.ad Antonin: Imper. die ait qui solis dicitur omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt. Et ex iis quæ cum gratiarũ actione cõsecrata sunt unusquisque participat.

Incitamentum.

Ad frequenter & devoté Communicándum.

NOn habemus hìc manentem Civitatem, sed omnes peregrinamur ad Patriam nostram, ad Civitatem Sanctam, ubi lux & agnus, ubi omnes erunt filii lucis. Desideras ne hanc Civitatem ingredi? Visne esse filius lucis? illuminet te Sacramentalis Agnus, hîc in terra per frequentes ac deuotas Communiones. Ad hoc lumen patebunt & modici defectus in corde tuo, quia & tales ad Civitatem Sanctam, scilicet ad Cælum non admittuntur.

In tenebris ambulanti difficilè n[o]
cadere vel sine luce, esse illæsu[m].
Ast, ubi plus tenebrarum ? quam [in]
hoc mundo ? ubi Princeps tenebr[a-]
rum dominatur ? & propterea Chr[i-]
stus jussit servos suos habere lucern[as]
ardentes in manibus suis. Sit er[go]
lucerna tua, Sacramentalis Agnu[s]
non amittas hoc lumen per neg[li-]
gentiam Communionis, & tenebr[æ]
te non comprehendent, quia h[oc]
lumen & mentem tuam illuminab[it]
& cor in amorem DEI accendet.

S. Chrysostomus primævos Chr[i-]
stianos, quia devotè & quotidie co[m-]
municabant, vocabat Rempublica[m]
Angelorum. Desiderasne cum A[n-]
gelis habere partem & possessione[m]
in æternum ? Sit ergo tibi ad g[u-]
stum Sanctissimum Sacramentu[m]
quod est panis Angelorum, hoc fr[e-]
quenter, & devoto appetitu sum[e].
Angeli DEI sunt servi supremi Reg[is]
ad Cænam ejus invitant, exhilara[nt]

eos

cos si te ab hac Cæna non excusaveris, & vicissim exhilaraberis, ab illis, (sicut spem habes) dum tibi opportuno tempore in viam illam longinquam Angelicum panem subministrabunt.

Deliciæ sunt Filii DEI esse cum filiis hominum, propterea factus est homo, & Corpus suum sanctissimum nobis in cibum dedit. Igitur non impedias IEsum ab his deliciis per diuturnum neglectum Communionis sacræ, ad quam quomeliùs, & frequentiùs te præparaveris, eo plùs gratiæ DEI accipies; eo magis cor Christi exhilarabis. Addet ille, quod tibi deerit, dummodo voluntatem tuàm & desiderium tuum cordiale vigeat, & pro temporalibus deliciis, æternas spera, quarum pignus est Sanctissimum Sacramentum.

Sancta Magdalena de Pazzis, diem CænæDomini, vocabat diem amoris, quia nos Deus maximo donavit amo-

re, cum seipsum dedit. Ergo amorem pro amore reddere debemus? & qnantus est amor IESU? & cur eum non desideras? Si eum non libenter optas habere in domo tua! quis est iste amor? quem modicus respectus hominum exstingvit! Ignis est amoris Symbolum, quare ut ignis debet consumere omnia. Charitas illud intuetur, quod Deo, quem amat, placet. Alliciat ergo amor Dei omnes ad mensam Eucharisticam, illos præparet in vitam æternam.

ACTUS

Ad Sanctissimum Sacramentum pridie Communionis.

1 Laudetur Sactissimum Sacramentum, imprimis ibi, ubi est à Christo Domino institutum.

2. Laudetur Sanctissimum Sacramentum, in toto mundo, in omnibus Ecclesiis, præcipuè in illo templo

in quo

in quo cras Communicaturus sum.

3. Laudetur Sanctissimum Sacramentum præcipuè in illa hostia, quæ mihi continget: & jam excitet in me amorem DEI, ut cum tali præparatione accedam, quantam a me requirit DEus meus.

4. Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus hominibus cras communicaturis.

5. Láudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus Sacerdotibus cras sacrificaturis, omnes illorum intentiones, actus, devotiones, tribue cordi meo benignissime JESU!

6. Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab animabus purgatorii, quæ sunt crastinis Communionibus, ac Sacrificiis liberandæ, vel consolandæ.

7. Láudetur Sanctissimum Sacramentum, quod crastinô die per totum orbem ab hominibus agoniæ ac morti proximis, suscipiendum est.

Quod verò illis ob dolorem, aut lan-gvorem ad bonam dispositionem de-erit, charitas IEsu, quam nobis tri-buit in hoc Sacramento suppleat.

8. Laudetur Sanctissimum Sacra-mentum ab omni creatura, in omni loco, ubi jam, & ubi nunquam præ-sentia ejus glorificata est.

9. Laudetur Sanctissimum Sacra-mentum ab omnibus, qui illud de-siderant, & in Paganorum, & Hæ-reticorum servitute illud habere ne-queunt, confirma illos benignissim IEsu, ut in fide & in gratia tua pe-severent, & tandem refice illos ho salutari cibo

10. Laudetur Sanctissimum Sacra-mentum ab omnibus hominibus, q illud in morte desiderabunt, & no poterunt illô frui: ex misericord DEI, illos in eis effectus præst quos præsentia tua præstaret.

O IESU, svavissima dulcedo mea reple cor meum omnium Seraphi-norum

norum, amore omnium Sanctorum præparatione pro adventu tuo exorna, quilibet hac nocte cordis mei, & omnium hominum pulsus te invocet Veni, veni dulcedo mea, amor mi IESU si vere ego obdormiam, vigilabit cor meum in adventum tuum affectu totius Ecclesiæ, Amen.

Quod si quis pridiè Communionis ob impedimentum aliquod prædictos actus absolvere non poterit. Tunc ipsa die Communionis absolvere eos poterit, immutatâ hac dictione cras in hodie

ACTUS
Contritionis.

QUem cum attentione legere est necesse, habita reflexione in communi præteritorum delictorum præcipuè si quis jam fecit benè Confessionem Generalem, ut per hunc dolorem excitetur amor erga SS. Sacramentum.

Deus

DEus misericordiæ & bonitatis, qui antequam creasti me nôsti me, & omnia opera mea ab æterno vidisti: creasti me in hunc finem, ut Tibi servirem, ut ex toto corde amarem Te: quid fáctùm est? à Te longè recessi per scelera mea? Bonitas es omni amore dignissima, cur ergo te non amavi? Pater es, cur ergo cor tuum laniavi? Beatitudo es, cur ergo te non quæsivi; sed statim à juventute mea averti me à Te, cum annis crevit mecum malitia, & scelus; vidisti omnia quæ laniarunt cor tuum, & tamen bona providebas mihi, cum posses me statim post primum peccatum in imo inferni submergere. O incomprehensibibili DEI mei bonitas! sed etiam, ô maledicta malitia mea! Infelix momentum illud, quo manus mea per primùm scelus contra DEum surrexit, infelix locus, qui primo sceleri meo contigit! Sed cur ego tempus,

cur

cur locum incuſo? quem puduit mei criminis, cum tamen in illo tempore & loco laudi Divinæ, vácare potuiſſem, ſi me voluntate, & amore ejus regi permiſiſſem. Quare miſericordiſſime DEUS malitia mea in cauſa eſt. Quid ergo faciam? ſerò te cognovi, serò te amavi pulchritudo tam antiqua! tam nova! Igitur ſit Tibi gloria, & gratitudo infinita, quod mihi non ultimo in agone, ſpem tribuis Deus largiſſime, quod me vis ſalvum fieri, cum tamdiu emendationem vitæ meæ expectaſti.

O infinitum bonum! o miſericordiſſime Deus! Sangvis tuus pretioſiſſimus, ſit mihi in vitam æternam, quem colligo, & in corde Sanctiſſimæ Virginis Matris Tuæ MARIÆ, tanquam in altari tibi gratiſſimo, depono, ſi totius mundi iniquitates haberem, hujus oblationis ope illis liberarer, ſed etiam propter interceſſionem MARIÆ perire non poſſum.

Pono in altari hoc cor meum, tu ſcis quale! lava illud piiſſime JEsu Tuo ſangvine, amore Sanctiſſimæ Matris tuæ, & aliorum Sanctorum in flamma. Ego autem ſic inflammato corde clamo ad Te Deus bonitatis, & miſericordiæ, quotquot cogitationes caput meum tota vita parturiit, quibus Te quandoque & qualicunque modo offendi, (tu ſcis melius Domine) illas deteſtor, pro illis cordialiſſimè doleo, & in ſatisfactionem offero ſpineam Coronam JESU mei. O caput aureum! o! caput pretioſiſſimum Salvatoris mei! obumbra ac protege capitis mei malitias. Quotquot lingva verba protulit, quibus te per totam vitam quandoq; etiam leviſſimé offendi pro his doleo, idq; ex amore tui. Ut autem hanc lingvam conſecrem DEo meo, lambo ſacratiſſimum Sangvinem JESU, in terram procidentem, luto cōmiſtum, utiq; licet catellis ſub menſa Dominorum

orum colligere fragmenta. In satisfactionem autem pro peccatis lingvæ meæ, offero lingvam JEsu tacentem, acetô & felle in Cruce excruciatam.

Quotquot in vita mea fuerunt actiones, & opera voluntatis, intentionis, propensionis volutariæ ad malum, hæc omnia execror, idq; propter solum amorem Tui; & in satisfactionem offero amaram passionem. Labores, & merita Domini JEsu mei, merita Beatissimæ Virginis MARIÆ OO. Sanctorum. O si modo renasci possem! o si ad ultimam guttam sangvinem fundere propter amorem tui, DEus cordis mei! o si modo rediret tempus illud, quo me Deus sine peccato vidit!

Tu vides cor meum, quod citiùs in infernum præcipitem me darem, quàm me in scelus aliquod resolverem. Ipse me exosus sum propter peccata mea, miror, quod me huc-

usq; non consumpserit terra, quod mihi lapides, elementa, arbores, non exprobrabant peccata mea! NN. Igitur nunc vel maximé doleo quod Te infinite omnium, vel minimô peccato offendi.

Ast supra modum me solatur immensa misericordia Tua, summum pretium meritorum Tuorum; quibus pro me semper JESU mi, Redemptor mi satisfaciebas; offendebam te in juventute meá, at etiam tu statim in infantili ætate passus es pró me, offendebam te ex fragilitate, & stultitia, in ulteriore ætate & tu æterna sapientia DEus, factus, es rudis, & fragilis, ut peccata stultitiæ, & fragilitatis meæ protegeres. Si verò peccavi ex ipsa malitia, tu bonitatem tuam infinitam, pro hoc impendisti & fere perdidisti, ut salutem meam invenires: o amor! o bonitas! infinita DEI mei abhinc ergo, nullum sit momentum in vita mea, sine amore

Tui, amo te, & æstimo super omnia, & non quiescet cor meum, donec te infinitum bonum in beáta æternitate possidebit, Amen.

INTENTIO
Ad Sacram Communionem

1 VOlo Communicare, ut gratias agam pro institutione SS. Sacramenti: nomine omnis populi, & affectu totius Ecclesiæ.

2, Volo Communicare, ut vivâ fide profitear, in hac hostia esse verum DEum, & finem sub speciebus Eucharisticis: panis & vini latentem.

3. Volo Communicare, ut DEO meo gratias agam, pro beneficiis mihi quandoq; datis in Communione Sacra, pro quibus non egi gratias, vel illa non æstimavi, vel illa expresse non petii. Tu tamen Deus meus tribuebas largissimè animæ meæ.

4. Volo Communicare, ut gratias

agam pro beneficiis omnibus hominibus devotè communicantibus datis, ad hanc verò Communionem optarem habere Cor Beatissimæ Virginis MARIÆ; cor omnium Sacerdotum ritè sacrificantium; cor, præparationes, affectus, Omnium Sanctorum, qui fuerunt, sunt, & erunt usq; ad consummationem mundi.

5. Volo communicare, ut gratias agam pro beneficijs datis omnibus sacrilegè Communicantibus, incipiendo à primo Juda, usq; ad ultimum futurum sacrilegum. Pro gratiis, inquam, quas illis dabas, monendo illos ad pænitentiam, & sinceram Confessionem. Ago gratias pro beneficiis, quæ illis parasti, si se ad illa præparâssent,

6. Volo communicare, ut Tibi DEo meo gratias agam pro beneficiis datis in Communione sacra, damnatis, præcipuè illis, qui olim justi & virtuosi fuerunt, sed postea spreti

boni

bonitate tua, perierunt in æternum; modo te illi in inferno blaſphemant, at ego te pro illis ex toto corde meo amo, & colo.

7. Volo communicare, ut Tibi benigniſſime JESU, in SSimo Sacramento latenti, compenſem omnes contemptus, blaſphemias, conculcationes, & confuſiones omnes, quas ſuſtines à veneficis, à paganis, ab hæreticis, & ab omnibus hominibus improbis, & in locum horum, reddo tibi venerationem, & cultum Angelorum, & hominum Sanctorum, omnisq; creaturæ.

8. Volo Communicare, ut in me gratiam, fidem, ſpem, & amorem DEI augeam, ut me magis ad amorem DEI, ad obſervationem mandatorum ejus diſponam.

9. Vôlo Communicare, ut animas in purgatorio detentas adjuvem, & Sangvine JESU ardores illarum extingvam.

10. Volo Communicare, ut omnibus in peccato manentibus, impetrem contritionem cordis, & sinceram pœnitentiam, quæ requiritur ad salutem.

11. Volo Communicare, ut mihi, & omnibus afflictis impetrem patientiam, & humilitatem Agni hujus, in Sanctissimo Sacramento latentis, ut ejus amore inimicos meos diligam, ejus gratiâ sustineam, quidquid in me DEus benignissime permittes.

12. Volo Communicare ut impetrem, Principibus Christianis fortitudinem, contra inimicos Sanctæ Crucis, ut DEUS exaltet Ecclesiam suam, & Paganos, hæreticos, deprimat, ut & ipsi agnoscant, & devotè suscipiant te verum DEUM, in Sacramento latentem.

13. Volo communicare, ut impetrem mihi & omnibus victoriam tentationum, præcipuè illarum, quibus hominem infernus in ultimo momento vitæ solet opprimere.

14. Volo communicare, ut impetrem mihi, & omnibus hanc gratiam ut ſine Sanctiſſimo Sacramento non moriamur, utq; ſine hôc ſacrô viatico viam æternitatis non inchoemus. O! Cibus noſter, Piiſſime JESU, tribue tunc nobis auxilia, & eſto dux in viam æternitatis, horridam & ignotam.

15. Volo communicare, ut meas, ac totius populi frigidas, negligentes præparationes ad Communionem Sacram, compenſem. Accende ergo cor meum amore tuo JESU, quem nunc ſuſcepturus ſum in Sanctiſſimo Sacramento, præpara animam meam, prout ſcis, vis, & potes, nunc & poſtea ad beatam æternitatem.

LITANIÆ

De SSmo Sacramento.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos
Pater de Cælis DEUS, Miſer:
Fili Redemptor mundi DEus Miſer:
Spiritus Sancte DEus Miſerere:
Sancta Trinitas unus Deus Miſer:
Panis vitæ qui de Cælo deſcendiſti,
DEus latens in SSmo Sacramento,
Cibus Electorum
Panis pingvis & deliciæ Regum,
Oblatio caſtiſſima,
Agnus ſine macula,
Cibus Angelorum,
Memoria mirabilium DEI,
Verbum caro factum habitans in nobis,
Myſterium fidei,
Vera propitiatio pro vivis ac mortuis,

Miſerere nobis.

Cæle-

Cælefte pharmacum nos à peccato præfervans,
Miraculum fuper miracula,
Memoria amoris DEI,
Sacramentum devotionis,
Spiritualis dulcedo,
Vinculum amoris,
Refocillatio animarum Sanctarũ,
Via in Domino morientium,
Pignus futuræ gloriæ,

Miferere nobis.

Propitius efto, Parce nobis Domine.
Propitius efto, Exaudi nos Domine.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
A facrilega Communione, & indigna fufceptione Corporis & Sangvinis tui.
Ab omni occafione peccati,
Per charitatem tuam quæ Te in pane circumdedit,
Per dolores & vulnera Tua quæ in hoc SSmo Sacramento exprimuntur.

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut per hoc Sacramentum amorem & posthac regnum Cæleste valeamus comprehendere, Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

℣. Panem de Cælo præstitisti eis Domine.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

ORATIO.

DEUS qui viscera misericordiæ tuæ recludis omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes salvos facere desideras, & ideo subiisti mortem, & hoc SSmum Sacramentum constituisti Te rogamus salva nos omnes in te sperantes & recordare populi tui, cujus es Dominus in sæcula sæculorum, Amen.

CON-

CONSIDERATIO.

Supra illa verba, quibus utitur Sancta Ecclesia ante Communionem.

Domine non ſum dignus.

NOn ſum dignus DEUS meus quod me ſuſtentat terra, propter mea ſcelera, & quomodo ad me adeò peſſimum venies?

Non ſum dignus benigniſſime JESU hoc àére quem ſpiro, quomodo eſſe potes cibus meus?

Non ſum dignus pijſſime JESU oculos meos levare ad Te & quomodo Tibi uniri potuero?

Non ſum dignus amantiſſime JESU, ut deſcendas ad me, quia Tu es pulchritudo increata, ego verò deformior ipſo Dæmone, dum plus & gravius deliqui quam Dæmon. Tu es ipſiſſima bonitas & ego ejus inimicus

Non ſum dignus JESU, ut deſcendas ad me, quia Tu es dator vitæ, ego autem latro & prædatur propriæ animæ meæ.

Non sum dignus JESU mi ut descendas ad me, quia Tu es æterna Sapientia & ego insipiens, dum Te & gratiam Tuam æstimare nescio.

Non sum dignus JESU dignissime ut ad me venias, Tu enim es ignis amoris, & ego sicut aqua effusus sum in iniquitatibus meis: dicis tamen ego veniam ad te.

Ergo venies æternum Verbum in in hanc lingvam pessimam, in instrumentum tot peccatorum? veniam, ut illam consecrem laudi meæ.

Ergo venies Cælestis unio ad stercus? veniam, ut me agnoscas & magis æstimes.

Ergo venies Agnus DEI in dentes lupi? veniam, quia te adeò amo, ut te transmutare in me velim.

Ergo venies immense DEUS ad carcerem? veniam, ut te ad libertatem Filiorum Dei alliciam.

O veni ergo, veni jam dulcissime JESU, Deus misericordiæ, bonitas e-

nim

nim Tua video non habet terminum.
Mater Dei da mihi cor tuum, omnes
Sancti electi Dei, date mihi omnia
veſtra deſideria, ſed parum eſt adhuc
iſtud. Date mihi damnati omnes,
veſtram erga Deum invidiam ego il-
lam transformabo in amorem Sera-
phicum. Date mihi irrationales Cre-
aturæ, omnem eſſentiam veſtram,
varietatem mutationis, actionis, ego
ex his omnibus faciam corda amore
DEI æſtuantia: ita ut quodlibet, mil-
lies magis & magis quolibet momen-
to igne amoris DEI ardeat. Nunc
verò illa Te charitate cupio ſuſcipe-
re DEUS meus in Sanctiſſimo Sa-
cramento latentem, DEUM teſtem
cordis mei nunc & in æternum, Amē.

Actus Timoris & Humilitatis.

O Amor vim patior reſponde pro
me? quid dicam Deo vitæ meæ?
o amor quo tuam inclinas Majeſta-
tem? unde mihi ut Tu venias de
templo Sancto gloriæ tuæ? DEUS

de DEO; & quo? ad me speluncam
latronum, serpentis habitaculum, clo-
acam fætidam, vas contumeliæ to-
ties fædatum, licet toties in Sangvi-
ne tuo lotum, ad me leprosam & im-
mundam Sponsam, quæ pro dilecti-
one odium, pro beneficijs maleficia,
reddidit. O amator quô ducis fon-
tem sapientiæ? stupet Cælum, mi-
rantur Angeli, certè usq; ad abyssum
miseriæ. Quis credat mi JESV eò
te in amore progressum ut mihi mor-
tuo cani & prodigo filio ad te rever-
so des carnem tuam & Sangvinem;
unde comedam & bibam, ô flos cam-
pi ô lilium convallium! ô panis An-
gelorum! quomodo factus es pabu-
lum bestiarum? ideone Domine ve-
nies ad me quia te amorem summū
toties peccatis calcavi, sprevi & cru-
cifixi? Quæ pars animæ meæ mun-
da est in qua te potero sepelire? quid
os meum nisi sepulchrum patens, de
quo nihil præter fætores peccatorum
meo-

meorum procedunt? quid cor meum, nisi fpelunca & abyffus iniquitatis! an fortê Domine visiterum in ftabulo nafci beftiarum, an denuo vis ad inferos defcendere? Non fum dignus Domine JESU ut intres fub tectum meum, cordialiter tibi dico millies, undequaq; mi JESU confpectu tuo fum indigniffimus quia fum vas fordidum, efca vermium, putredo & cinis: indigniffimus fum ob execranda facinora, nequitiam, & malitiam meam. Indigniffimus fum ob abufum naturæ & gratiæ, fpretum fangvinem tuum, tuam Divinam clementiam peffumdatam: indigniffimus fum ob peccata quæ prævides DEUS meus me in pofterum commiffurum.

Ergo nec oculos nec cor audeo levare Pater Sancte, quia peccavi nimis in Cælum & coram te, quia omnibus peccatoribus ac ipfis damnatis deterior fum. Exi à me Domine

quia

quia homo peccator sum. Non expedit hanc pretiosam Cæli gēmam ; ante porcum projjcere. Et non est Domine bonum sumere panem Angelorum , & mittere canibus.

Scio tamen mi JESU, quia etiam catelli edunt de micis , quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, ideò ego miser & indignus catellus tuus Domine, pedes tuos sacratos lambens, Corpus tuum esuriens, & sanguinem sitiens, clamo post te. Da mihi dulcis JESU amor meus micas panis vivi qui de Cælo descendit ut refocilletur anima mea.

Resolutio.

Flat mihi amor mi JESU secundùm verbum tuum. Jam veni Domine JESU, ingredere benedicte Domine qui foris stas. Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales cordis mei. Ecce enim introibit Rex gloriæ. Hæc est porta Domini, & Sanctus Sanctorum intrabit

bit per eam. Paratum tibi cor meum JESU, paratum cor meum. Exurge psalterium & cithara mea mi JESU: jam veni mi JESU, & noli tardare. Tibi dicit cor meum Domine JESU: veni, facies mea requirit te, & vultum tuum exquirit. Audeo & aveo dulcissime JESU recipere te, habere te, possidere te, vesci te, conjungi tibi, concorporari tibi.

Tædium.

VSquequò Domine, dulcissime amor mi JESU tenes animam meam & non venis ad eam? ecce jam tædet ipsam vitæ suæ. Domine descende, festina, veni, priusquam moriatur vita mea in me, & antequam extingvatur lucerna spiritus mei. Odiosa est mihi omnis quies sine te, omnis dulcedo amara, omnis consolatio insulta est, longa est mihi omnis mora: aut tolle me, aut veni ad me. Ubi est expectatio mea, ubi est Dominus

minus meus, ubi eft qui dicebat: Ecce venio citò? o Domine quoufq; modicum, modicû expecta, quoufq; iftud. Expecto, ecce modicum jam tranfiit & tu non compares. Adefto Domine adefto, defidero te millies, moriar fine te: veni oftende mihi faciem tuam. Adefto mi IESU adefto ocyùs ut tædium cordis mei præfentia tua relevet, nolo Angelos, nolo quidquam aliud, te volo, tu veni.

Fames.

CAligant ecce oculi mei præ inedia dulciffime IESU, & non eft tibi curæ, fames opreffit animam & tu non venis? ubi es qui dicebas? Caro mea verè eft cibus, Sangvis meus verè eft potus. Quomodò verò eft quando non eft, aut fi eft, cur & non mihi? Famefco & non cibas me. fitio & non inebrias me.

Ecce oftenduntur mihi cibi, fed quia non funt verì cibi. Nolo illos, tuum cibum, te cibum volo. Aru-

erunt

erunt fauces, ſubſtantia mea redacta eſt in nihilum, & tu ô cibus meus non venis? das eſcam omni carni in tempore oportuno, ego autem cur hic fame pereo, nunquid ſangvinem taurorum, aut hircorum bibam, aut ſi eſurio cui dicam ſi non Tibi, cujus eſt orbis tetræ? ô DEUS? qui paſcis me à juventute mea, da mihi panem hunc ſuperſubſtantialem quotidianum, ut mortem non guſtem in æternum.

Invitatio Chriſti.

O Sancti Dei omnes! o Sancti Angeli! o Diviniſſima Mater MARIA! nunc ſaltem adeſte operam veſtram non denegate. Abite ad Sanctiſſimum hoc Sacramentum & Dominum veſtrum, amorem meum, quâ ſcitis & ſoletis reverentiâ, pro me adorate & ad cordis mei habitaculum invitate.

Adoro Te dulciſſime IESU adorationibus Sanctorum Angelorum, & adora-

adorationibus Beatissimæ tuæ Matris, & eas in æternum continuo.

Invito te ad cordis mei domunculam tibi desideratam, apertam & pro paupertatę mea paratam, veni igitur ô Sanctissimum Sacramentum, veni amor mi IESU; venite merita, gratiæ, dona, gloria, beatitudo: veni amor mi JESU ad servum tuum, ad domum tuam. En cor meum area est, materia est, tu architectus es, omnipotens es, verbum omnia creans es. Vis Palatium, vis mundissimum, vis te dignum! ædifica illud & erit.

Veni mi IESU; veni millies, veni fuge dilecte mi, formose mi, veni unice mi, Columbę mi, veni similis capreæ hinnuloq; cervorum. Veni saliens in montibus, transiliens colles, veni ascensor Cælorum, ascensor Cherubinorum qui ambulas super ventorum pennas, veni, en Te desidero veni te concupisco, veni, tui amore langveo veni mi IESU, veni,

& desi-

& desiderium meum imple, implendo auge, ut plus te appetat, habeat, te habere in æternum gaudeat.

Aspirationes affectuosæ ad Christum Christum suscipiendum.

O Mi svavissime IESU, anima mea ardet, æstuat, flammescit in te, tota se exerit, quanta quanta est, tota ignescit erga te.

O amoris dulcedo! o unicum centrum cordis mei! manducet te anima mea, & omnia interiora mea dulcissimo svavitatis tuæ liqvore, repleantur.

O vita & totum bonum meum! non possum vivere ampliùs sine te. Desidero te IESU mi intimè frui. Da ut comprehendam. Anima m... Corpus tuum concupiscit cor meum tibi uniri desiderat.

Quid dicam! quo vadam! ubi te mi IESU inveniam? quis nunciabit Dilecto quia amore langveo? ibo &

ibo

ibo plorans, quæram, quem diligit anima mea: ubi es dilecte mi, ubi requiescit cor tuum? ubi latet amor meus? non es ô speciose IESU pro filijs hominum, odorem tuum haurio, te autem non video? cur faciem tuam abscondis? an ideo quia dicis: non videbit me homo & vivet? Eia Domine moriar ut Te videam, videam, ut hic moriar Pacifica mi bone IESU spiritum meum ad inhærendum tibi jubilosis excessibus anhelantem. In Te enim est totum quod desiderare possum, tu salus mea & redemptio, tu spes & fortitudo, Tu decus & gloria, tu divitiæ, thesaurus, & possessio.

Cupio te svavissime IESU cum ... li affectu, amore, & honore suscipere, cum tali fide. spe, & puritate, sicut te suscepit Virgo Beatissima. Desidero te ex corde tractare & suscipere, cum tali devotione, gratitudine & amore, quemadmodum multi San-

ti Sancti & devotæ personæ te desideraverunt in communicando; qui tibi semper placuerunt.

MONITVM.

DVm proximè Communicaturus es excita in te dolorem quantum potes maximum, dolendo propter ipsam & solam bonitatem DEI, pro omnibus peccatis totius vitæ tuæ, & præcipuè pro defectibus licet parvis, qui tibi poterant contingere sub tempus Confessionis, in explenda pœnitentia & in hac ipsa præparatione ad Sanctam Communionem. Ut vg: linguæ garrulitas, oculorum immodestia, distractio in devotione, neglectus præparationis ad devotionem; & his similes. Quod si hâc die est aliqua Indulgentia (quæ quid sit, & quæ ad illam requirantur vide infra) *fac intentionem quod illam desideras consequi his vel similibus verbis.*

Doleo DEUS meus propter solam bonitatem tuam quod Te aliquando in vita mea vel leviſſimô peccatô offen-

fendi: præcipuè tamen deprecor Majestatem Tuam pro negligentia mea & minimis defectibus, in hac ipsa præparatione, & desidero hanc Indulgentiã quæ hic hodie est, cõsequi.

Jam jam accessurus dic.

O Anima mea en Sponsus tuus! en amor tuus! divertit in paupercu-lum diversorium cordis tui. En Cæ-lestis medicus accedit ad sanandum te, en amicus, millies dilectissimus ditare vult extremam paupertatem tuam! En Sol amabilissimus illuminabit densissimas tenebras tuas! ô pietas! ô Bonitas! ô Misericordia mea! ô utinam mi IESU nunquam Te offendissem! utinam te semper & unicum amassem! veni ergo bone IESU! veni Sponse animæ meæ! veni ad me & ne spernas pauperculam animam meam veni ô unice amor meus! ô IESU dono tibi cor meum animam meam, corpus meum, paratum cor meum DEUS, paratum cor meum.

Affe-

Affectus in Sumptione Corporis Christi mente & corde ardentissimo exercendi

DOminus meus & DEUS meus, quid mihi & tibi ô IESU Fili MARIÆ Virginis? ô res mirabilis, manducat Dominum pauper servus & humilis. Quis sum ego servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei. Jam quod quæsivi habeo, quod concupivi teneo DEUM meum possideo, & summo bono gaudeo, cur jam corde non ardeo! Quàm panis hic dulcissimus est, & verè svavissimus, plus millies gratissimus, quam dicere sufficimus. O Pater dono tibi cor IESU, ô IESU dono tibi cor MARIÆ. Dono tibi cor meum, licet indignissimum. O IESU osculor vulnera tua, osculor pedes tuos: ô IESU amo te ex toto corde, utinam non meo, sed amore ardentissimorum Seraphinorum. Ave dulcissime IESU amor meus!

meus! ave dulcedo cordis mei. Ave te Venerabiles Manus pro me Cruci affixæ. Ave latus speciosum pro me vulneratum. Ave cor svavissimum mei IESU. Moriar mi IESU moriar, inter desideratissimos amoris tui amplexus. O IESU gaudeo de omni bono & gloria tua, ô IESU, omnia peccata mea & totius mundi commissa quantum possum, detestor propter Te. O IESU esto mihi IESUS & Salvator nunc & in hora mortis meæ. O Domine totus sum Tuus eroq; in æternum sicut Tu totus meus esse voluisti.

SALUTATIO
Domini JESU post Communionem.

SAluto Te IESU mi, corde & affectu pretiosissimæ Virginis Matris Tuæ, quô Te salutavit dum Te in visceribus Virgineis concepit, præcipuè saluto Te humilitate, castitate & amore ejus.

Saluto Te IESU mi illô affectu, quô Te salutavit Divinissima Mater Tua dum Te prima natum vidit, prima adoravit & amplexa est.

Saluto Te JESU mi corde & affectu MARIÆ Matris Tuæ, quô Te salutavit dum Te in Templo invenit, & oro Te per illius dolorem quem passa est cum Josepho querendo Te: esto nobis solatium in afflictione & in hora mortis.

Saluto Te mi JESU affectu & corde Virginis Matris Tuæ, quô Te salutavit corpus Tuum Sanctissimum suscipiendo.

Saluto Te JESU affectu Sanctissimæ MARIÆ, quô Te salutavit dum Te prima post mortem Tuam, resurgentem & gloriosum vidit. Et peto Te per illius gaudium, tribue cordi meo pacem & ad æternum gaudium admitte me.

Saluto Te JESU mi, corde & affectu Sanctissimæ Virginis, quô Te

salutavit in Cælos suscepta, & per illum amorem, quô illam Tu suscepisti & illa Te salutavit: rogo Te præpara nobis locum in æternitate beata.
Saluto Te JESU amantissime affectu Sanctorum Angelorum, quô Te salutârunt in nativitate Tua; & concede mihi in Cælo illorum audire cantus: Gloria in excelsis DEO: Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabbaoth.
Saluto Te mi JESU affectu & simplicitate pastorum, & da mihi vigilantiam, supra unam oviculam animam meam tribue mihi simplicitatem cordis illam, quæ placeat Divinis Tuis oculis.
Saluto Te mi JESU affectu Simeonis quô Te excepit in manus suas, à Sanctissima Virgine Matre Tua, & tribue mihi vivam fidem agnoscendi Te esse DEUM, & salutem meam.
Saluto Te IESU affectu Sanctorum trium Regum quô Te salutârunt in

stabu-

ſtabulo & múnera plena Myſterijs reddiderunt, cum illis reddo tibi pro auro amorem quem deſidero ardentiſſimum, pro myrrha reddo Tibi omnium hominum afflictiones & anguſtias, quas doce nos Domine patienter ferre propter Te; pro thure reddo Tibi meas & totius Eccleſiæ oratiônes, ac rogo Te, doce nos orare perfectè.

Saluto Te mi JESU affectu Sanctorum Patrum quo Te ſalutârunt in limbo cum ad illos deſcenderis, ut inde eduxiſſes eos, & peto Te educ etiam animam meam ex abyſſo iniquitatum mearum.

Saluto Te mi JESU affectu Sancti Petri, Thomæ, & Magdalenæ, & omnium Diſcipulorum tuorum, dum Te primò poſt reſurrectionem viderunt, & Tu illos recipiebas in gratiam, & mærores eorum ſolabaris, & rogo Te da mihi gratiam amarè deplorandi ſicut Petro, mea crimina:

Da gratiam viva fide & amore penetrandi ſicut Thomæ, quòd ſis Dominus & DEUS meus. Da gratiam ut ſic Te amem prout amavit Magdalena, da gratiam ut cum Sanctis tuis partem habeam in beatitudine æterna.

Saluto Te mi IESU affectu hominum, devotè Te ſuſcipientium ab initio uſq; ad conſummationem mundi.

Saluto Te mi IESU affectu Sanctorum Angelorum Tuorum, quâ Te ſalutârunt gloriosè in Cælos aſcendentem.

Saluto Te affectu omnium Sanctorum primò ad Cælos venientium, & peto Te, ut cum illis laudem Te, cum illis ſpectem Te in æternum, Amen.

Gau-

Gaudia cũ Domino IESU devotæ animæ post Communionem,

Gaudium 1mum

UBi est Majestas & gloria Tua, in qua Te monstrasti in monte Sinai DEUS Dilectissime? ubi tua severitas quando curiose tangentes, intuentesq; Arcam Tuam, punivisti morte? O Salvator meus quando venisti ad cor meum, pauperculam domum, fecisti supra omnem caput miraculum, & eò magis, dum venisti ad cor peccatoris pessimi. Utiq; propiùs sum ego Te hodie, quam illi intuentes Arcam, & quod plus est, es, intra viscera mea!, ô prodigium! Tu regis Cælum & terram, totumq; orbem gubernas, Tu decernis alijs æternas pænas, alijs perennem gloriam, attamen cum omni gloria Tua, demisisti Te ad me, idq; fecisti ideo ut non

haberem unde excusarem, fuisse procul salutem! O ingens amoris vinculum! possumne non amare Te? infelicissimus ego forem, si vel cogitarem non amare Te. Amo Te super omnia IESU mi, istudq; desidero in æternum. Amo Te ô salus mea IESU supra animam meam, supra vitam meam, & super omne id quod amari posset. Amo Te in æternum una cum toto corpore, & anima mea, atq; cum omnibus sensibus scientijsq; meis, quia & Tu nimiùm amasti me, cum non tantùm vitâ Tuâ sed etiam hucusq; proprio Sangvine & Corpore Tuo satias me, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis, &c.

Gaudium 2dum.

O quam Tua bonitas ô Dulcissime amantissimeq; IESU, quandò animam meam lepra peccati infecit, petij à te Domine: dic verbo & sanabitur anima mea: ast Tu præ amore infinito venisti ad domunculam cor-

dis mei, melior Sacramentô cum unguentis pretiosissimis, nimirum cum contritione & dolore, ut ipse melius morbum & infirmitatem compertam haberes. Ego dixi quod ibi sit stercus & fœditas, tu tamen non detrectasti intrare, quasi id non intelligeres; nonne summus est hic amor, possumne ingratus esse quando plus mihi fecisti quam ego petii? Imò non tantum gratissimus pro tanto beneficio esse debeo, sed etiam si id velles, paratus sum vitam meam ponere pro gloria Tua. Quia verò istud modò præstare non possum, cor meum tibi immolo, tradoq; doce illud, amare, & laudare te ac juxta voluntatem tuam vivere, Amen.

Gaudium 3tium.

Quid ergo in Cælo & in terra quæsiturus sum præter te IESU amantissime? etenim si amorem cupio, charitas es nobilissima. Si delectationes? Tu unica delectatio es maxima ac purissi-

purissima. Si divitias? Tu pretium, Thesaurus Cælestis, valor inæstimabilis, abyssus infinitæ bonitatis. Si desidero honorem? cum te habeo, summum honoris gradum teneo, quia ideo demisisti te, ut ego in Regno tuo filius Regis essem. Verbô si cogitarem te speciosiùs quid, quàm es, habere, dignus essem ut omnes creaturæ vindictam ex me sumerent, pro contemptu tui. Quarè nunc ego non peto te IESU mi dilectissime ut me magis ames quia non sum dignus, sed istud à te posco, ut ab hoc tempore tribuas mihi gratiam amandi te super omnes creaturas, atq; ut nihil in corde habeam, nisi te, in ore verò Sanctissimum Nomen tuum IESUS.

Gaudium 4tum.

O si in manus mutarentur omnia membra mea, quibus Te dulcissime IESU omni ex parte perfectiùs complecterer, adstringeremq; cordi meo. At IESU mi amantissimè, mortalitas

tas mea deprimit me ad terrena, & ideò audacter Cælum inspicere nequeo. Postulo igitur trahe me post te & fac me tecum in dulcissimo amore tuo, ut sic factus idem tecum, possem una tecum regnare in æternum, Amen.

Gaudium 5tum.

O Dulcissime, benignissime, pulcherrime, gratissime, æstimatissime, nunquam satis laudabilissime, in omni genere perfectissime DEUS; Domine, & amor mi JESU piissime, ecce ego ante te, fac in me tibi amoris, prudentiæ, humilitatis, omniumq; virtutum tabernaculum, cur detines misericordiam tuam? utiq; major est bonitas tua, quam mea crimina? utiq; Tu es abyssus bonitatis profundissima? si contritionem desideras, doleo ex toto corde quod te aliquando offenderim: si satisfactionem, ecce implebo pænitentiam; præter hoc nihil plus possum dicere nisi quod

à te

à te non recedam, dextera tamen tuâ benedicente mihi, omnes in corde meo virtutes incrementum faciant in eoq; maneant, ac Sanctissimos oculos tuos exhilarent in æternum, Amen.

CATALOGVS
Mendicitatis.

Seu puncta quædam quid à DEO post Communionem & alijs temporibus petendum sit.

SI tactus vestis magnas gratias præstabat, ipse JESUS in Sanctissimo Sacramento susceptus plus præstare potest dummodo vivam habeamus fidem quod dabit quidquid ab illo petierimus. Etenim hic Dominus largè solet ditare illud hospitium; in quo ritè suscipitur. Dixit Sancta Teressia ad suas Moniales. ideò tunc maximè petendus est nobis Christus dum apud nos Sacramentaliter præsentem habemus, vel dum in Altari

tari expoſitum cernimus, poſſumus nobis imaginari quaſi quærat ex quolibet noſtrûm quid vis ut tibi faciam? Dic ergo humiliter.

1. Domine per omnem cordis tui bonitatem da nobis omnibus ut reſipiſcamus à malo, & cognoſcamus te & noſmeiipſos.

2. Domine per omnem bonitatem cordis tui tribue nobis amorē tui ſuper omnia prout ſcis, vis & dignus es.

3. Domine per omnem cordis tui bonitatem da nobis omnibus, efficacem omnis omnis peccati præcipuè mortalis, deteſtationem execrationemq;

4. Domine per totam cordis tui bonitatem da mihi gratioſa auxilia, eum vitæ ſtatum amplecti (*de cujus electione vide inſtructiones cum orationibus n.* 123.) in quo rectæ rationi, Tuæq; voluntati ſatisfaciendo, bravium æternæ gloriæ apprehendere merear.

5. Domine per totam cordis Tui bonitatem tribue ſuppetias omnibus in proxima ad peccatum occaſione conſtitutis, præcipuè ne amittant ultimam gratiam, aut primam innocentiam: ſed omnes vincant impetus & fortiſſimè Tibi adhæreant.

6. Domine per totam cordis Tui bonitatem da his omnibus qui ſunt in peccato mortali efficacem gratiam, ad veram pœnitentiam & contritionem, tribue illis Confeſſarios tales qui illos juvent ut illorum ſaluti expedit.

7. Domine per cordis Tui bonitatem largire omnibus operarijs, ſalutis humanæ, Apoſtolicum Spiritum infatigabilem. Extolle Sanctam Eccleſiam Catholicam, & omnes Paganorum, Hæreticorumq; errores annihila, ut tam multæ animæ pretioſiſſimo tuo Sangvine redemptæ non pereant in æternum.

8. Domine per omnem cordis tui boni-

bonitatem largire omnibus Paganis, Judæis, Hæreticis gratiam, ut Te cognoſcant & in vera fide ament.

9. Domine per bonitatem cordis Tui largire omnibus charitatem & amoroſam memoriam amaræ paſſionis Tuæ, & dolorum prætioſiſſimæ Virginis Matris Tuæ.

10. Domine per bonitatem cordis tui tribue cor tale omnibus quale habuerunt primi Chriſtiani in fide immobile, in unitate perſeverans in Charitate tua immutabile.

11. Domine per totam cordis tui bonitatem da animabus purgatorij requiem æternam: videant faciem tuam illæ præcipuè, quæ in vita ſua fuerunt devotæ ad Sanctiſſimum Sacramentum.

12. Domine per omnem cordis tui bonitatem largire Eccleſiæ Catholicæ Paſtores doctos, & prudentes, ut & ipſi á via æternitatis non aberrent & oves ſibi commiſſas ad Cælum deducant.

13. Domine per cordis Tui bonitatem da omnibus afflictis solatium, spem desperantibus, perseverantibus in odio concordiam, & unitatem obstinatis, cor contritum da pœnitentibus.

14. Domine per bonitatem cordis Tui da nobis omnibus timorem terribilis judicij Tui, sed timorem filialem ut non offendamus te ideò, quòd sis infinita bonitas.

15. Domine per cordis Tui bonitatem largire nobis ardentem charitatem & devotionem ad Sanctissimum Sacramentum, quousq; vivimus & in hora mortis ciba nos hôc viatico in vitam æternam.

16. Domine per cordis Tui bonitatem tribue nobis omnibus ut in hac vita sit ultimus cibus noster Sanctissimum Sacramentum, ultima cogitatio nostra de passione & amore Salvatoris nostri, ultimum verbum, Sanctissimum Nomen IESU, Amen.

Laus

Laus Sanctissimi Sacramenti.

LAudetur Sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot in Cælo stellæ, in igne scintillæ, in áëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot in vere flores, æstate grana, autumno folia, hyeme nives & grandines: quot corporeæ in universo sunt creaturæ, quia dignus es Domine universorum, qui sub corporeis vini, panisq; speciebus lates. Verè tu es DEVS absconditus *Isaiæ* 45.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi quot ore proferri: quot corde omnium hominum excogitari unquam potuêre, vel possunt; quia dignus es Domine Pater noster qui nos cibas & potas, quotidie, cujus redempti sumus pretioso sangvine, quasi Agni immaculati 1. *Petr* 1.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum tot laudibus, qnot omnes Angeli, ipsaq; Sanctissima Trinitas sua po-

tentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest; quia dignus es Domine DEVS meus, qui mihi donas non tantum humanitatem verùm etiam Divinitatem tuam Dominus meus, & DEVS meus, verè laudabilis & gloriosus & super exaltatus in sæcula *Dan: 3.*

PETITIO.

BEnignissime IESU à quo manant in nos omnia bona, à quo omnia à nobis mala arcentur: averte à me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiæ ardorem, & quidquid demum Divinæ Majestati Tuæ displicet, ut Tibi DEO meo in veritate serviam, & in corde perfecto laudem & glorificem in sæcula, Amen.

Commendatio sui.

COmmendo me tibi ô bone IESU intra mellifluum cor tuum abscon de me, nec permitte me in æternum separa;

separari à te. Sis mihi in vita solatium: in morte viaticum, in æternitate præmium. Id rogo te, pro me, omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem, & Sangvinem tuum, Am.

Petitio Benedictiónis.

BEnedic mihi Domine IESU, cum Patre & Sancto Spiritu, uberemq; largire gratiam amplectendi semper & in omnibus, nunc & in hora mortis Tuam Sanctissimam voluntatem, Amen.

CORONA

Ad Sanctissimum Sacramentum

Hoc modo esse potest Intentio.

VOlo DEUM in Sanctissimo Sacramento latentem per totam vitam laudare fide, adoratione & amore totius Ecclesiæ. Quia verò Sanctissimum Sacramentum est memoria passionis Christi 5. decades tantum in hac Corona erunt in memo-

riam 5. vulnerum Christi, antequam libet decadem dic Pater noster, & i parvis globulis loco Ave Maria: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum* quæ verba quia sunt brevia, considerate proferenda sunt ut autem sit major attentio addi hæc possunt.

In prima Decade sic.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus Sanctis in Cælo regnantibus.

In secunda Decade.

Laudetur Sanctissi mum Sacramentum ab omnibus Sanctis in terra manentibus.

In 3tia Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum ab omnibus hominibus qui illud ignorant vel non æstimant.

In 4ta Decade.

Laudetnr Sanctissimum Sacramentum ab omnibus dam natis.

In 5ta Decade.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum

tum ab omni irrationali creatura.
Et post quamlibet Decadem adde *Gloria Patri*, in fine *Credo.*

Actus breves

Seu jacula Spiritualia.

QVi semper quidem esse in usu possunt, præcipuè tamen in majori Solennitate dum est expositio Sanctissimi Sacramenti, quemlibet illorum decies in Corona repetendo & in majoribus globulis *Gloria Patri, &c.*

1. Adoro te DEUS meus affectu totius Ecclesiæ.

2. Credo te Deum esse Trinum & unum atq; Deum & hominem, affectu totius Ecclesiæ.

3. Spero in infinita bonitate tua Deus meus quod non confundar in æternum.

4. Amo te Deus misericordiæ amore tuo, amore totius Ecclesiæ.

5. Amo te Deus meus amore pretiosissimæ Virginis MARIÆ & illam amo amore tuo.

6. Desidero te videre DEus misericordiæ, & amare cum Sanctis tuis in æternum.

7. Ago tibi gratias DEus bonitatis, pro beneficijs mihi, & omni creaturæ quandocunq; præstitis.

8. Qui me creasti miserere mei prout scis, vis, & potes.

9. Domine doce me in omnibus facere voluntatem tuam.

10. Dominus meus & DEus meus regit me, & nihil mihi deerit.

11. IESV agonizans in agone nostro miserere nostri.

A C T V S
Ad Sanctissimum Sacramentum
Sub tempus Processionis.

SIs benedictus amantissime Jesu in Sacramento Eucharistiæ latens, pro illa Processione quam de Cælo fecisti ab æterno Patre in terram, ut propter salutem nostram fieres homo, ideoq; adoret te omne genu, cultu tibi de-

hi debitô, in Cælo, in terra, & sub terra. Sentiat infernus potentiam tuam in hac nubecula latentem, atq; quòd sis verus DEus & homo.

2. Sis benedictus dulcissime IESU in Sacramento latens pro illa processione in qua Pretiosissima Virgo Mater tua portavit te in utero, ad Elisabeth eundo, & per amorem Matris Tuæ postulo quoties in hoc Sacramento descendes ad cor nostrum, relinque nobis effectus illos gratiæ tuæ, quos tunc fecisti domui Zachariæ.

3. Sis benedictus dulcissime IESU, in Sanctissimo Sacramento latens pro illa processione, in qua Pretiosissima Virgo Mater tua portavit te mánibus suis ad templum Hierosolymæ, & in qua obviavit tibi Simeon & suscepit te, in manus proprias, effice ut sic te suscipiamus in Communione Sacra, ut parati simus mori, nihil mortiferi in conscientia sentiendo.

4. Sis benedictus dulcissime Iesu, in Sanctissimo Sacramento delitescens, pro illa processione in qua portabaris in Egyptum dum cum vita Tua, fugere debueras; tribue nobis gratiã, ut sciamus fugere occásiones peccati, ut sciamus in hac terra nos esse peregrinos, & exules, ad Cælumq; aspiremus, ac ad illud frequenter cordá nostra revertamus.

5. Sis benedictus dulcissime Iesu, in Sanctissimo Sacramento, delitescens pro illa processione quam habuisti eundo Hierosolymam, dum te populus, & innocentes ducebant dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini, & da nobis innocentiam vitæ & lingvæ in laudem tuam.

6. Sis benedictus dulcissime Iesu, in Sanctissimo Sacramento, latens pro illa processione, quando ab uno ædificio ad illud sicut maximus latro ducebaris, ecce nunc omnes Tuas confusiones, compensamus, & cordialiter clamamus. Tuæ

Tuæ, honor, & gloria,
Sint paſsionis, præmia.

7. Sis benedictus dulciſsime Iesu, in Sanctiſsimo Sacramento latens pro illa proceſsione, quam feciſti portando Crucem in montem Calvariæ duceberis tunc à quatuor millionibus hominum pro Paſchate illo tempore Hieroſolymã (Drex: in Chriſto Paſſo) congregatorum, quorum aliqui irridebant, alij cum admiratione quærebant, quis eſt per Deum: latro, &c. ſed nos nunc cum omnibus Angelorum, hominumq; millionibus tibi ut DEO reddimus cultum, reverentiam, & gloriam debitam, ac firmiſsimè credimus, quòd ſis DEus omnipotens, Dominus vitæ & necis.

8. Sis benedictus benigniſsime Iesu, in Sanctiſsimo Sacramento delitescens pro omnibus fatigationibus tuis, ac vijs quas quandocunq; feciſti: ad lapideas, carceres, domos, ſtercora, in hoc Sacro viatico ad æ-

gros veniens: veni etiam & ad nos illâ horâ, quando vitæ nostræ filum in viam æternitatis nos trahet.

9. Sis benedictus benignissime Jesu, in Sacramento delitescens pro illa ultima processione, quam fecisti ex terra in Cælum ducendo innumeram multitudinem electorum Dei & trahe post te corda nostra ut ibi sint in æternum, ubi tu es pretium nostrum inæstimabile. Benedic familijs Christianis, quæ præcepta tua custodiunt, & da gratiam tuam ulterius illa observandi. Benedic nobis in necessitatibus temporalibus, in quantúm sunt necessariæ ad obsequium tuum & salutem nostram. Benedic omnibus qui in hac processione sequuntur te, benedic & omnibus qui ob justam causam non possunt ire, sed cor suum ad Te conversum habent, da illis gratiam quâ indigent, da nobis omnibus gratiam qui te modo latentem intuemur in Sanctissimo

Sacra-

Sacramento, ut videamus Sanctissimam faciem tuam in æternum.

A C T U S

Tempore Expositionis Sanctissimi Sacramenti

O Salutaris Hostia.

SAlve Sanctissima oblatio, quæ nobis Cælos recludis, aperi nunc etiam corda nostra ad amandum Te: aperi corda peccatorum ad pænitentiam. Te Dominum vitæ & mortis, timent hostes nostri, tremunt coram Majestate tua, potestates inferni. Firma etiam nos contra illos, ut semper vincamus illud, quid quid nos, ab amore tui, à salute nostra impedit.

Unitrinoq; Domino.

DEO Trino & uni sit sempiterna gloria, Patri qui nos creavit & Filium suum unigenitum tradidit pro salute nostra: Filio qui nos redemit, & corpus suum Sanctissimum dedit

nobis

nobis in hoc Sacramento in Cibum salutarem: Spiritui Sancto qui nos Sanctificavit, qui amore DEI, & ardenti devotione ad Sanctissimum Sacramentum corda nostra inflammat, sit laus & perennis honor ab omni creatura; nobis verò in beata æternitate vita æterna, Amen.

Dum Sacerdos Sanctissimo Sacramento benedicit in conclusione devotionis vel in fine primi Sacri.

Salvum fac, &c. 1.

SAlva Domine populum Tuum in Paganismo, Judaismo, & hæresi, & in quacunq; cæcitate manentem, utiq; ideo huc venisti, utiq. ideo te nobis in Sanctissimo Sacramento reliquisti, ut omnes vitam habeamus. Ergo credant in Te omnes, te agnoscant omnes Te amēt ex toto corde, in æternum, Amen.

Sal-

Salvum fac 2.

SAlva Domine populum tuum per totum orbem in peccato mortali existentem. Tribue omnibus gratiam efficacem ad veram pœnitentiam, suscipe prodigos filios, in gratiam, ut placatâ infinitâ bonitate tua, jam amplius à Te non recedant, non amplius te in cordibus suis crucifigant, Amen.

Salvum fac 3.

SAlva Domine populum tuum hâc horâ, hôc momentô, in toto mundo agonizantem benedic illis hoc momentum, à quo tota pendet æternitas, da felicem in gratia & æternitas, da felicem exitum, da & nobis in vulmore tui exitum, da & nobis in vulneribus tuis vivere & mori, huc verò congregatis ad laudandum Te, benedic tanquam hæreditati Tuæ, nunc & in æternum.

PROFESSIO FIDEI
De Sanctissimo Sacramento
S. Thomæ Aquinatis.

LAuda Sion Salvatorem,
Lauda Ducem & Pastorem
In hymnis & canticis.
Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis.
Panis vivus & vitalis
Hodie proponitur.
Quem in Sacræ mensa Cænæ
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora,
Mentis jubilatio.
Dies enim Solennis agitur
In qua mensæ prima recolitur
Hujus institutio.
In hac mensa novi Regis
Novum Pascha, novæ legis,
Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas
Noctem lux eliminat.
Quod in Cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti Sacris institutis,
Panem vinum in salutis,
Consecramus Hostiam.
Dogma datur Chistianis;
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in Sangvinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides.
Præter rerum ordinem.
Sub diversis Speciebus,
Signis tantum & non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro Cibus, Sangvis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraq; Specie.
A sumente non concisus,
Non confractus non divisus,
Integer accipitur.

Sumit unus, ſumunt mille,
Quantum iſti, tantum ille,
Nec ſumptus conſumitur.
Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen in æquali,
Vitæ vel interitus.
Mors eſt malis vita bonis,
Vide, paris ſumptionis,
Quam ſit diſpar exitus.
Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit ſciſſura,
Signi tantum fit fractura,
Quâ nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum,
Factus Cibus viatorum
Vere panis filiorum
Non mittendus canibus.
In figuris præſignatur
Cùm Isàác immolatur,
Agnus Paſchæ deputatur:
Datur Manna Patribus. Bo-

Bone Paſtor panis vere,
IESV noſtri miſerere,
Tu nos paſce nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu qui cuncta ſcis & vales,
Qui nos paſcis hic mortales,
Tuos ibi commenſales,
Cohæredes & Sodales
Fac Sanctorum Civiũ, Amen.

INSTRUCTIO
Pro eligendo vitæ ſtatu.

§. 1. Quanti momenti ſit hæc electio.

DOcet nos quotidiana experientia, paucos felicem vitæ exitum ſortiri, qui ſine deliberatione, nullâ voluntatis Divinæ, ſuæq; ſalutis habitâ ratione ad conjugia, ad Eccleſias, ad Canonicatus, ad animarum curam, ad religioſa inſtituta provolant. Quis ergò

ergò non videat maturè & seriò deliberandum & statuendum esse à quo non modò temporalis, verùm æterna quoque animæ nostræ salus dependet? Quamobrem deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam *Ecclef:* 37. 19. Sed non omnia omnibus expediunt. *Ib: v.* 31. *Proinde Tobias sapienter cum eodem sapiente monet filium Tob.* 4. Fili mi pete à Deo, ut vias tuas dirigat, & consilia tua in ipso permaneant.

Si quis tamen his neglectis ad vitæ statum pervenisset, cui mutatio non ampliùs esset libera, is, quamvis se in miserijs constitutum sentiat; non tamen de mutatione laboret; sed ex necessitate studeat facere virtutem, & cogitet Deum id fortassis in pœnam peccatorum suorum permisisse, conetur q; Divinâ adjuvante gratiâ in præsenti statu se perficere. Quemadmodum verò omnium aliarum calamitatum, ita & hujus efficacissimum inter cætera est remedium,

um, creber & pius Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usus.

2. Quando de vitæ statu deliberandum?

ET si nihil præproperè statuendum sit, maturè nihilominus initium deliberationis est faciendum. Nam deliberandum est diu, quod semel statuendum. *Quidam à Deo in juvenili ætate monentur, & ad salutarem vitæ statum vocantur, quia verò hi vocem DEI negligunt, ab eodem postmodum deseruntur. Quando Sponsa hæsit in lectulo suo, ostiumque dilecto pulsanti aperire neglexit,* ille declinavit & transijt. *Cant:* 5.

Non est instituenda hæc deliberatio, quando animus aut nimiâ tristitiâ, irâ, odio, aliave passione est perturbatus, nec quando convivijs, compotationibus, lusibus, &c: indulgemus: spiritus enim consilij, qui Divinæ voluntatis est explorator, in nobis tunc locum habere non potest: neque in illis occasionibus, &

tempo-

temporibus animus utpote passionibus occupatus, vel deliciis inescatus ad quemlibet statum, juxta DEI voluntatem, amplectendum, est indifferens, &c. Opportunissimum tempus & occasio est ad divinam, circa vitæ institutum, explorandam voluntatem, quando cum eodem per pœnitentiam sumus reconciliati, & per Sacram Eucharistiam conjuncti. Tunc enimverò DEO nostro utpote secundùm humanam æque ac Divinam naturam nobis intimé præsenti dicere confidenter cum Samuele possumus: Loquere Domine, quia audit servus tuus, 1. *Reg.* 39.

3. Quæ servanda sint, ut rectè instituatur de statu vitæ deliberatio?

1. **P**One *ante oculos, omnis generis status, ad quos tibi aptus videris (Deus enim neminem ad statum vocat, ad quem ineptus est) considera deindè quâ ratione ultimum finem tuum, æternam videl: beatitudinem, ad*

quam creatus es, in hoc aut illo statu consequi possis, quæ adminicula, quæ impedimenta in ijs sperari aut metui possint: utile est rationes in utramque partem moventes scripto notare, & inter diligentem earum lectionem attendere, quæ præponderent.

2. Considera, quid charissimo amico tuo, quem æternùm cuperes salvum, consilium in simili re à te petenti persuasurus esses, idem tibi applica.

3. Perpende, quid in mortis articulo te fecisse optares: quando omnia, quibus summè in vita tua delectatus es, erunt, quasi nunquam fuissent: quando propinqui & amici te deserent: quando solus coram severissimo Judice, apud quem nulla personarum est accceptio, qui nec muneribus corrumpi, nec lacrymis aut precibus flecti poterit, comparebis: quando ibit homo in domum æternitatis suæ, &c. Eccl: 12.

Ex horum tamen consideratione non sequitur religiosum statum tibi esse amplecten-

plectendum: quamvis enim hic per ſe ſit perfectior, & ad ſalutem conſequendam ſecurior, quidam tamen ſanctiùs in conjugio, quàm alij in ſtatu religioſo vivunt, dum nimirum hi vota & inſtituta ordinis ſui liberè tranſgredi non formidant. Praſtaret haud dubiè tales omni votorum vinculo ſolutos eſſe & benè vivere in coniugio.

4. *Durante deliberatione conſcientiam tuam crebrò pœnitentiæ Sacramento expia, & Sacram Eucharistiæ menſam frequenta, Sapientem denique imitare ſic orantem.* Emitte Domine Sapientiam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret; ut ſciam, quid acceptum ſit coram te omni tempore.

5. *Ad evitandum erroris aut deceptionis periculum (cœcutimus enim non rarò in proprijs rebus) conſule viros prudentes & pios; potiſſimum Conſeſſarium, cui natura tua, animique propenſiones ſunt perſpecta. Agit Deus*

ordina-

ordinariè per causas secundas, sine singulari necessitate miracula non edit. Quæ proinde à nobis vult fieri per homines sapè indicat. Interogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. *Jer: 6. 16.* Via stulta recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilium. *Prov: 12. cum Paulus exclamaret, Act; 9. 6.* Domine quid me vis facere? *ait Dominus ad eum*: surge & ingredere Civitatem, & ibi dicetur tibi (*videlicet ab Anania*) quid te oporteat facere. *Sapienter in hanc rem Siracides Eccli: 32. 24.* Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. *Periculosum verò & noxium, ut plurimùm est consilium â carne & sangvine, à Parentibus & propinqvis capere quorum vel tam immoderatus amor est, ut filios à se abstrahi non sinant: vel tanta rerum temporalium cupiditas, ut quâvis viâ pingves Ecclesiæ proventus aucupentur, omni post habito metu,*

 sive

sive commitendæ simoniæ, sive suos in vitam inducendi, quæ tota à statu Ecclesiastico sit aliena. Quid verò proderit homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? *Matth*: 16. 26. Meliùs multis esset si nati non fuissent.

Annos æternos in mente semper habe.

NB. Sedulò cavendum est, ne quid temerè voveatur in cosultò Confessario, maximè circa vitæ statum: Displicet enim DEO infidelis & stulta promissio. Multoque meliùs est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. *Eccli.* 5.

PRE:

PRECES
PRO ELIGENDO VITÆ STATU
I. ORATIO
Ad DEUM Patrem.

Pro Divina ſapientia & Spiritu Sancto impetrando.

Ex lib: Sapientiæ cap. 9.

OMnipotens æterne DEUS, qui feciſti omnia verbo tuo, & Sapientiâ Tuâ conſtituiſti hominem Mitte illam de ſedibus ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit ante te. Quis enim hominum poterit ſcire conſilium DEI? aut quis poterit cogitare quid velit DEUS? cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ providentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum

multa cogitantem. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis SAPIENTIAM, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis, & sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris. Veni Sancte Spiritus &c. *pag.* 141.

II. ORATIO
Ad JESUM.

Quâ quis se indifferentem ad omnes status offert.

ECce mi JESU, ad omnes status indifferentem me tibi sisto, illum promptus amplectar; ad quem tu me vocaveris. Vis ut de terra mea, de cognatione, de domo Patris exeam? paratum cor meum. Nec Patria, nec cognati, nec opes, nec voluptates me tenebunt. Vis ut abdicatîs omnibûs in religiosa paupertate, & obedientia tibi serviam? paratum cor meum. Vis me in Ecclesiastico statu vivere? paratum cor meum. Sed adhuc, oro, neque vijs illicitis

me

me pervenire, neque turpiter in eo finas vivere. Præproperâ me potiùs morte, ad te ex hoc mundo evoca. Vis ut cælibem in fæculo vitam, aut honestum conjugium fubeam? da ostensionem beneplaciti tui; paratum cor meum. Ad læta & tristia, ad fvavia & aspera me offero. Tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. *Lucæ* 22. 33.

ORATIO
Ad B. Virginem.

AD te ô Stella maris, inter instabiles hujus vitæ fluctus oculos meos levo. Dirige, ô Mater æternæ lucis, cor meum ad polum suum, Filium tuum Dominum nostrum JESUM Christum, & deduc me ad talem vitæ statum, in quo eidem Filio tuo dignè serviam, & denique optatum Cœlestis patriæ portum obtineam, Amen.

ORATIO
Ad Angelum Custodem.

O Mi Angele, cujus tutelæ à DEO sum traditus, ô Dux & Comes peregrinationis meæ adesto mihi in gravissimo hoc salutis meæ negotio; ostende viam, quam eligam, ut finem meum, ad quem creatus sum, hoc est, æternam beatitudinem consequar, & unà tecum DEum meum æternùm intueri & laudare merear, Amen.

ORATIO
Pro perseverantia in concepto bono proposito.

O Benignissime DEUS, ostendisti mihi viam, in qua ambulem; judicia tua & leges manifestâsti mihi, nimirum in statu hoc....me tibi vis servire: gratiam, oro, impertire, ut huic meo proposito constanter insistam, atque æternam salutem consequar,
Amen.

IN-

INSTRUCTIO
Pro
Indulgentijs.

TRiplex potissimum fructus nobis ex quovis bono operè provenit: meritum, satisfactio, & impetratio.

Sed uti Divina benignitas infirmitatẽ & tenuitati nostræ prospexit, ut per Sacramentorum usum ex opere operato meritum nostrum in immensum augeamus: Sanctorum verò patrocinia Ecclesiæq; preces, multa, quamvis nihil operantes impetremus: *Ita thesaurum Indulgentiarum nobis reliquit, ex quo per applicationem satisfactionis Christĩ & Sanctorum uberem ac celerem pro pœna temporali, in hac vel altera vitæ exsolvenda haberemus* satisfactionem.

Quid sint Indulgentiæ?

Indulgentiarum nomine intelligitur remissio pœnæ temporalis, cujus per peccata facti sumus rei: Remittitur quidem

dem per Sacramentum Pœnitentiæ aut per actum perfectæ contritionis omne peccatum quamlibet grave quoad culpam: & huic annexam pœnam æternam; non semper tamen omnis reatus pœna temporalis simul remittitur, sed hic vel per insignem pœnitentiam vel per opera satisfactoria vg. orationes, eleémosinas, jejunia &c. vel per patientiam tolerantiam adversitatum, &c. vel per SATISFACTIONEM CHRISTI DOMINI & SANCTORUM nobis applicatam ab habente potestatem, deletur.

Et quamvis ad evitandam omnem pœnam temporalem solis Indulgentijs (neglectis bonis operibus) innitendum nostra bona opera sunt valde imperfecta, reatus verò debitarum pœnarum ingens, expedit nos adlaborare ut crebro Indulgentiarum nos faciamus participes.

Quòd etiam in Ecclesia Indulgentiæ dentur id est Thesaurus satisfactionum

ex Christi passionibus infinitus qui nunquàm exhauriri poterit, certum est Christianis. Cum enim Christus nulla satisfactione indiguerit (ut pote quî peccatum non fecit nec facere potuit. 1. *Cor:* 5.| *& Heb:) nobis illa applicari potest, per eum cui Dominus dixit. Matth:* 16. Qnodcunq; solveris super terràm erit solutum & in Cælis. *Quæ promissio generalis est omniaq; vincula complectitur quæ impedire possunt homines à consecutione salutis æternæ. Ac proinde ad sola peccata restringi non potest qualis illa, Joan:* 20. Quorum remiseritis peccata; *& cur Christus illi negasset potestatem remittendi pœnam temporalem cui potestatem dedit remittendi qvælibet gravissima peccata ijsq; annexam pœnam æternam? Potestatem hanc exercuit Sanctus Paulus remittendo pœnam temporalem incestuoso illi* 2. *Cor:* 2. *&c. Ad hunc thesaurum satisfactionum spectant Passiones B. Virginis & Sanctorum.*

An per Indulgentias remittantur peccata?

Nulla peccata per Indulgentias remittuntur: verba autem quæ in Bulla Indulgêntiarum de remissione omnium peccatorum *leguntur, vel intelligenda sunt tantùm de* pœna *nomen enim* peccatum *sumitur interdum pro* pœna peccati *uti* 1. *Pet:* 2. Peccata nostra. ipse pertulit in Corpore suo) *hoc est* pœnam peccati *ipse pertulit in Corpore suo. Non verò ipsam* culpam *utpote qui fuit Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. Hebr:* 7.) *Vel accipienda sunt Bullæ verba quòd peccata omnia remittantur per pœnitentiam quæ ad lucrandas Indulgentias præmitti debet.*

Quid requiratur ad lucrandas Indulgentias.

1. *Ut simus in statu gratiæ hoc est nullius peccati gravis rei. Hinc tàm seriò à Pontificibus Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ præmittenda in-*

dulg

dulgentijs lucrandis precipiuntur. Nam Indulgentia tantùm tollunt reatum pœnæ, culpam supponunt esse sublatam. Et quamvis pœnâ reservatâ, culpa remitti possit, non tamen potest remitti pœna manente culpâ. Proinde Indulgentias lucraturi sibi dictum putent illud Jerem: 4. Novate vobis novale & nolite serere super spinas.

2. *Ad lucrandas Indulgentias præscripta à Pontifice opera, oportet adimplere. Sub illa enim conditione Indulgentiæ conceduntur. Plerumq; tamen Confessarijs datur potestas in ægris, incarceratis (qui vg. certa templa invisere aut jejunare non possunt opera præscipta in quadam alia commutandi.*

Necesse est ut minimùm opus ultimum ad lucrandas Indulgentias requisitum fiat in statu gratiæ.

PRECES

Ad lucrandas (tàm intra quàm extra tempus Jubilæi) plenarias Indulgentias: vel sibi vel animabus in purgatorio applicandas.

ORATIO.

Præparatoria.

OMnipotens sempiterne DEUS cujus misericordiâ à peccatis omnibus æternæq; damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus pœnis obnoxius permaneam: Cùm verò his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filij tui Domini nostri JESU Christi, Sanctorumq; Thesaurum confugio ut hujus abundantiâ tenuitati, & indigentiæ meæ subveniatur. Promptum me ad omnia, quæ hunc in finem præstanda sunt, offero. Suscipe ea, ó Pater Misericordiarum, in unione Passionis & mortis ejusdem Filij Tui, plenariæq;

riæq; hujus Indulgentiæ, me licet indignum fac participem, Amen.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

I. ORATIO
Ad DEUM Patrem pro Exaltatione S. Matris Ecclesiæ.

MEmento ô Pater æterne, Congregationis Tuæ quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut Sponsam unigeniti Filij Tui, pro qua ipse Sangvinem suum profundere non dubitavit; hanc obsecro, Sanctitatis decore, gratiarum opibus, hæreditatis amplitudine ita exalta: ut digna compareat tali Sponso, tantoq; redemptionis pretio. Respice benignè ejusdem Sanctæ Matris filios eorumq; numero universas gentes associa, ut omnes te DEUM Patrem, & quem misisti JESUM Christum, unà cum Sancto Spiritu fide vivâ agnoscant, spe firmâ invocent, & charitate perfectâ complectantur Amen.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c.

℣. Vide Domine, & viſita vineam iſtam.

℟. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus.

RESpice, quæſumus Domine ſuper hanc familiam tuam pro qua Dominus noſter IESVS Chriſtus non dubitavit tradi manibus nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Qui tecum vivit, &c.

2. ORATIO

Ad DEUM Filium pro extirpatione Hæreſum.

O IESU lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, fac oro: per inæſtimabilem Paſſionis & mortis tuæ virtutem, ut pulsîs Hæreſum & errorum tenebrîs veritatis Tuæ lumen omnes amplectantur & in optatum Eccleſiæ tuæ gremium conſtituant. O Paſtor bone, qui animam Tuam pro

pro ovibus Tuis posuisti, gregem Tuum protege, & contra vim insidiasq; eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes Pastorem admittant & unum omnium sit ovile. Mane nobiscum Domine quoniam dixisti, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ostende Ecclesiam Tuam ædificatam, esse super petram, & portas inferi non prævalere adversus eam, Amen.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

℣. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi,

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus.

Ecclesiæ Tuæ, Domine preces placatus admitte, ut destructis adversitatibûs & erroribûs universîs securâ tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum, &c. *Alia*

Alia
S. Francisci Xaverij pro Conversione gentium Hæreticorum & peccatorum.

ÆTerne rerum omnium effector DEUS, memento abs Te animas infidelium Hæreticorum & peccatorum procreatas, easq; ad imaginem, & similitudinem Tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium Tuum hîs ipsîs infernus impletur. Memento JESUM dilectum Filium Tuum illarum salute atrocissimam subijsse necem, noli quæso Domine ultrâ permittere ut Filius Tuus ab infidelibus, Hæreticis, & peccatoribus contemnatur sed precibus Sanctorum Virorum, & Ecclesiæ Sanctissimæ Filij tui Sponsæ placatus, recordare misericordiæ Tuæ & oblitus Idololatriæ, infidelitatis contumaciæ & malitiæ eorum, effice ut ipsi quoq; agnoscant, timeant, & diligant aliqvando, quem misisti Dominum

minum noſtrum JESUM Chriſtum, qui eſt ſalus vita & Reſurrectio noſtra, per quem ſalvati & liberati ſumus, cui ſit gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

3. ORATIO

Ad Spiritum Sanctum pro Concordia Chriſtianorum Principum.

O Sancte Spiritus, Spiritus amoris & pacis, qui tot, tamq; diverſas gentes in unitate fidei congregaſti: largire Chriſtianis Principibus, eorumq; Conſiliariis abundantiam tuæ gratiæ noſtræq; charitatis Tuo mandato, quòd abiens ex hoc mundo Diſcipulis Tuis dediſti, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes agnoſcant, eos in numero electorum Tuorum cenſendos, & Chriſtianô nomine dignos eſſe, fac, ne ulla unquam cupiditate abducti quidquam moliantur quod Divinæ Tuæ gloriæ, concordiæq; Eccleſiæ adverſetur, ſed unitis potius viribûs ad pacis æternæ viſi-

onem, cæleſtem Hieruſalem, populum ſibi ſubjectum unà ſecum perducere nitantur, Amen.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c.

℣. Fiat pax in virtute Tua.

℟. Et abundantia in Turribus Tuis.

Oremus.

DEUS à quo Sancta deſideria recta conſilia, & juſta ſunt opera: Da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: ut & corda noſtra mandatis Tuis dedita & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint Tua protectione tranquilla. Per Dom: &c.

ORATIO ad SS. TRINITATEM.

Quâ peractorum operum ad Indulgentias lucrandas præſcriptorum ſit oblatio.

PRæſtitiſſe nunc videor SSma TRINITAS quæcunq; ad plenariam debitarum pænarum Indulgentiam impetrandam præſcripta fuerũt. Hæc & multo plura abſq; eo Divinæ Majeſtati

jeſtati tuæ utpote innumeris eidem nominibus obſtricti præſtare nos oportuiſſet. Infinitæ Bonitati Tuæ, profuſæq; in nos licet indigniſſimos liberalitati tribuendum eſt, quòd tam cumulatè viliſſima debitæ ſervitutis noſtræ opera remuneraris. Suſcipe ergo ô SS. TRINITAS à me quomodocunq; præſtita opera, & fac ut horum defectus paſſione & morte Domini noſtri JESU Chriſti ejuſdemq; pro nobis pretioſiſſimo effuſo Sangvine ſuppleantur. Atq; ita me (vel animam iſtam) plenariæ hujus Indulgentiæ fac participem. Pro quo Beneficio tibi Cælum & terra mecum laudes & gratiarum actiones cantet, nunc & in perpetuum, Amen.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c.

Hymnus
SS. Ambroſij & Aug:

TE DEUM laudamus; Te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

 Tibi

Tibi omnes Angeli tibi Cæli & universæ potestates:

Tibi Cherubim & Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabbaoth.

Pleni sunt Cæli & terra Majestatis gloriæ Tuæ.

Te gloriosus Apostolorum Chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum Candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum Sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum & unicum Filium,

Sanctum quoq; Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem

minem non horruisti Virginis uterum.

Tu devictô mortis aculeô: aperuisti credentibus Regna Cælorum.

Tu ad dexteram DEI sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus Tuis famulis subveni: quos pretioso sangvine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis Tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine:

Et benedic hæreditati Tuæ.

Et rege eos: & extolle illos usq; in æternum.

Per singulos dies benedicimus Te

Et laudamus nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.

Miserére nostri Domine miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in Te, in Te Domine speravi, non confundar in æternum.

℣. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis & gloriosus in sæcula.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Spiritu Sancto.

℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Benedictus es Domine in firmamento Cæli.

℟. Et laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui dedisti famulis tuis, in Confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem: Quæsumus

sumus ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

DEUS cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est Thesaurus, pijssimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum, &c.

Domine exaudi orationem, &c.
Et clamor meus, &c.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Et fidelium animæ per misericordiam Dei, requiescant in pace, Amen.

Indulgentias plenarias Communionis Generalis quisq; vel sibi vel animæ alicujus Defuncti per modum Suffragij applicare potest. Prout declarant verba Bullæ sequentis.

INNOCENTIUS PAPA X.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS Præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem; & animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusq; sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus & Confessis, qui aliquam Societatis JESU, vel quamcunq; aliam sæcularem Ecclesiam ubicunq; existentem, una ex Dominicis cujuslibet Mensis, qua Communio generalis sollicitudine Dilectorum Filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Ecclesias de licentia Ordinariorum locorum illarumq; Rectorum consensu agetur, devotè visitaverint, & ijsdem Dominicis in prædictis Ecclesijs SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ibiq; pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, & Sanctæ

ctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem quam animabus Fidelium defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus, &c. Dat: Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die V. Februarij Anno MDCXLIX. Pontificatûs nostri Anno V.

M. A. MARALDUS.

Easdem ALEXANDER PAPA VII. Confirmavit & prorogavit An. MDCLXVI.

INDULGENTIÆ
Sodalium diebus Dominicis.

DOm: Septuag: 1. 2. 3. 4. Quadragesimæ Indul: plen: & lib: Animæ ex purgat: Dom: 8va Quinquages: & toto triduo in Templo Societatis JESU, peractâ inibi Confessione & Sacra

Sacra Communione Indulg: plenar: Dom: Resurrect: In Albis; Pentecostes SS. Trinitatis. Singulis: Mensis Maij, Junij & Adventus Dominicis. 1mis & 2dis Dominicis singulorum Mensium in Templo Societatis JESU Indulgen: plenar.

Diebus Festis.

Ad quodvis Sacrum ex tribus Natalis Domini. 2do & 3tio die Paschæ; In Ascensione Domini. 2do & 3tio Festo Pentecostes, Corporis Christi Indulgen: plenaria.

Diebus ferialibus.

Die Cinerum Indulgen: plenar: & 3000. Annorum. Per Quadragesimam diè 4. 6. 10, 11. 18. 25. 32. 41. 42. 43. 44. 45. 46. Indulg: plenaria.

Alijs diebus per totam Quadragesimam Indulgentiæ maximè ultimis 14. quotidiè plenaria. Triduo Rogationum feria 4. 6. & Sabbatho quatuor Temporum amplissimæ Indulgentiæ ac fere semper plenariæ singulis

gulis diebus. Sabbathò Indulgentiæ plenariæ ſunt ad S. Mariam de populo.

Per totam Octavam Paſchæ, Pentecoſtes, Aſcenſionis & Corporis Chriſti, Indulgentiæ plenariæ ſunt.

Sabbatho Dominicæ 2dæ Quadrageſimæ feria 6. & Sabbatho Dominicæ 5tæ, Feria 4ta Pentecoſtes, Sabbatho quatuor Temporum in Septembri Liberatio animæ è Purgatorio.

Alia Sodalium.

Ipſo die quo Confeſſi & Sacra Communione refecti ad Sodalitatem admittuntur. Similiter in hora mortis. In Solemni ſeu Tutelari Feſto ſuæ Congregationis, in Feſtis Nativitatis Domini, in Annuntiat: Aſſumption: & Nativit: B. Virg: Indulgentia plenaria.

10. *Annorum.*

Quando ritè Confeſſi & Synaxi refecti viſitant Templum Societatis JESU

JESU in Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Omnium Sanctorum & ſingulorum Apoſtolorum. In Nativitate Chriſti & Sancti Joann: Baptiſtæ.

Unius Anni.

Quoties Sodalium vel aliorum Corpora ad ſepulturam comitantur vel impediti auditô ſignô campanæ pro viatico aut ſepultura genuflexi Pater & Ave pro infirmo aut anima defuncti recitaverint. Quoties cœtibus publicis aut privatis, Divinis Officijs, Sacris exhortationibus, piis colloquijs Sacro die feriato, Litanijs diebus Sabbathi, Feſtis aut vigilijs interſunt, Officium vel Coronam B. Virginis recitant, conſcientiam examinant, infirmos vel incarceratos aut in Hoſpitali degentes viſitant, pacem inter inimicos conciliant.

Præter hos, quicunq; Chriſti Fideles qui verè pœnitentes & Confeſſi aut propoſitum temporibus â jure

ſtatu-

ſtatutis Confitendi habentes, Eccleſias & alia pia loca Societatis in diebus Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ Corporis Chriſti. Necnon diebus veneris & Dominicis totius Anni ac Quadrageſimalibus uſq; ad Octavam Paſchæ viſitaverint & inibi ſemel Pater & Ave recitaverint, & ſi Verbum DEI in illis prædicetur audierint, ſeptem Annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs conſequentur. Conceſſit PAULUS III. 18. 8bris Anno MDXLVIII.

SALUTARIS DEVOTIO:

Quæ

Cum impreſſione Sanctiſſimi Nominis

JESU

In Fronte ac Pectore

Gratiam præſervationis à ſubitanea improviſa, malaque morte, à DEO quotidie poſtulat, Mane, ac Veſpere.

Pone me, ut ſignaculum ſuper Cor tuum *Cant*: 8. ℣. 6.

Non eſt in alio ſalus: nec enim aliud NOMEN *eſt ſub Cœlo datúm hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 4. ℣. 12.

O JE-

O JESU

DEUS meus, Salvator, & Redemptor meus, qnem amo, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis, uti amari vis à me misero peccatore; idcirco summè doleo me te Summum & omne Bonum peccatis meis toties offendisse; Firmiter statuo, non amplius offendere, omnem peccandi occasionem fugere, & ritè pœnitentiam agere.

Spero in misericordia Tua infinita quod Cor contritum & humiliatum non despicies, sed ex infinitis meritis Vitæ Passionis ac Mortis Tuæ animam meam quoque salvabis.

Credo tibi æternæ veritati, & de Te, quidquid per Apostolos, per Ecclesiam Tuam Sanctam, & per Te ipsum revelare dignatus es.

In hac Fide, Spe, & Charitate peto suppliciter, ut mihi misero sis JESUS, à subitanea, improvisa & mala

morte,

morte, atque Ira tua tremenda me liberes.

Propter Nomen Sanctum Tuum, quod humiliter adoro: propter Nomen Immaculatè Conceptæ Sanctissimæ Virginis Matris Tuæ MARIÆ.

SS. Apostolorum Petri & Pauli, aliorumque Patronorum meorum, quos omnes in Gratia & Gloria Tua æternum Beatos nunc veneror, rogoque, ut mihi Gratiam hanc cum efficaci & finali exorare, & impetrare dignentur.

℣. *Exaltabo Te DEUS meus Rex, & benedicam Nomini Sancto Tuo in æternum.*

℟. *Quoniam Tu Domine suavis & mitis es, & multa misericordia invocantibus Te.*

Oremus.

DEUS, qui Unigenitum Filium Tuum constituisti humani generis Salvatorem, eumque vocari IESUM volui-

Voluisti; concede propitius, ut cujus Sanctum Nomen nunc veneror in terris, ejus quoque amabili Aspectu perfruar in Cœlis: Per eundem Dominum IESUM Christum Filium Tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. *Omnes Gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt Te Domine, & glorificabunt Nomen Tuum.*

℟. *Quoniam Magnus es Tu, & faciens mirabilia, Tu es DEUS solus.*

Oremus.

DEUS, qui gloriosissimum Nomen IESU Christi Filii tui Domini nostri fecisti Fidelibus tuis, summo svavitatis affectu amabile, & malignis Spiritibus tremendum, atque terribile; concede propitius, ut omnes, qui hoc Nomen IESU devotè venerantur in terris, Sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & à subitanea, improvisa & ma-

la morte, atque ab ira tua tremenda liberentur, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis Beatitudinis obtineant in Cœlis. Per eundem Dominum nostrum IESUM Christum, &c.

℣. *Sit Nomen Domini Benedictum.*

℟. *Ex hoc, nunc & usq; in sæculum.*

Oremus.

SAncti Nominis Tui timorem pariter, & amorem fac me habere perpetuum: quia tua gratia & Gubernatione non destituis quos in Sodalitate dilectionis tuæ instituis, per te Domine IESU Christe Salvator meus, qui vivis & regnas DEus meus & omnia, in sæculorum sæcula.

O Bonæ IESU! per Sangvinem illum pretiosum, quem in Circumcisione, cum Sacrosanctum Nomen IESV tibi imponeretur effudisti! esto mihi IESUS id est Salvator. Pone hoc SS. Nomen, ut signaculum super cor meum, ut nihil cogitem, nihil lo-

quar,

quar, nihil concupiſcam, niſi IEſum: Eſto mihi IESU, alpha & omega, initium & finis omnium actionum! & in finem viæ meæ ultimum meum ſuſpirium ſit.

I E S U S!

INTENTIO SACRIFICIO MISSÆ.

præmitenda juxta formulam communem Eccleſiæ.

Ego volo celebrare Miſſam, &c.

Supreme rerum omnium Domine Deus, Majeſtas infinita!

EGo: Abyſſus nihili, à te per omnia dependens, in ſceleribus à juventute mea, miſer, vilis, putredo: cinis, vermis, immundus & grandis peccator, qui DEUM toties & tam graviter offendi, proximum læſi, nec mihi pepercei,

Volo: Et Intendo ex DEI miſeri-

cordia & benigna voluntate & di-
ſpenſatione,

Celebrare: Rem ſummam, nec An-
gelis conceſſam peragere, è Cœlo
DEI Filium advocare. Paſſionis me-
moriam recolere, futuræ gloriæ pi-
gnus accipere, vivos & mortuos ad-
juvare.

Miſſam: Paſſionis Chriſti repræ-
ſentationem, unigeniti DEI Filij Sa-
crificium, humani generis remedium,
omnium Sacerdotum opus ſummum
& ultimum, Trinitatis gloriam, An-
gelorum, & Sanctorum lætitiam,
juſtorum ſolatium, peccatorum ve-
niam, vivorum ſubſidium, mortuo-
rum refrigerium.

Et conficere Corpus & Sangvinem
Id eſt, tranſubſtantiare panem in ve-
rum, vivum, immortale, impaſſibi-
le & glorioſum Corpus; & vinum in
Sangvinem, quæ ſunt animarum nu-
trimentum, peccatorum pretium,
infirmorum medicina, fons vitæ, ſ-
lus

lus mundi, in tribulationibus omni-
bus condimentum, &c.

Domini nostri JESU Christi: Qui est verus DEUS, & Homo, DEus de DEO ab æterno, Homo in tempore ex MARIA Virgine, qui est Creator, Conservator, Redemptor, Salvator, Pater, Frater, Mediator, Consolator, Magister, Dominus, Dux, Pastor, Protector, & Defensor noster; Deus cordis mei, Amor meus, Beatitudo mea, & omne Bonum meum.

Juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ: Cujus ritui & intentioni me corde, ore & opere penitus confirmo; in qua propono firmiter vivere, fideliter DEO servire, & fiducialiter mori: pro quâ (DEI munere) Sangvinem & vitam dare, fide, spe, & charitate munitus, paratus sum.

Ad laudem omnipotentis DEI: Offero hoc Sacrificium infiniti pretij, meriti, virtutis, cultus, laudis, gratiarum actionis, propitiationis, satisfactio-

nis & impetrationis, offero, inquam in ſupremum cultum Divinæ Maje ſtati tuæ uni & ſoli debitum, in pro teſtationem infinitæ tuæ excellenti & omnium creaturarum ſubjectioni & omnimodæ dependentiæ à te: condignam gratiarum actionem pro omnibus beneficijs Humanitati Chri ſti, & Beatiſſimæ Virginis MARIÆ omnibus Sanctis: toti mundo, & mi hi collatis.

Totiúsque Curiæ Triumphantis: Be atiſſimæ Virginis, Angelorum & San ctorum omnium, præſertim, quo rum memoriam agit S. Mater Eccle ſia. N.N.

Ad utilitatem quoque meam, to tiúsque Curiæ Militantis: Nimirum propitiationem, & emundatione ab omnibus peccatis noſtris, mei inprimis, & in ſatisfactionem pro p nis debitis: In impetrationem om um bonorum tam ſpiritualium, qu corporalium conducentium nobis

vitam

vitam æternam, in solatium & auxilium infirmorum, incarceratorum, agonisantium, tentatorum, & etiam defunctorum: pro conversione gentium, reductione à vera fide aberrantium, peccatorum, &c. Ut per hoc infiniti valoris & virtutis Sacrificium omnibus conferas efficacia auxilia gratiæ, uti oportet, credendi, sperandi, te & proximum amandi, pœnitendi de peccatis, ea emendandi, superandi tentationes, operandi salutem juxta rationem vocationis uniuscujusque, & sic evadendi æternam damnationem, perveniendíque ad finem ultimum, id est, æternam beatitudinem, qui tu DEUS solus & unus es.

Pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere & in specie: Præsertim pro N. N. (Hic forma intentionem primariam, & si placet etiam secundarias, ad quas te sub Sacro in Memento tam vivorum, quàm

 mortu-

mortuorum revocare poteris) Ut singuli te DEUM agnoſcant, æſtiment, ament, tibíque ex toto corde ſerviant.

Et pro felici ſtatu S. R Eccleſiæ: Ut hæc ſtabili fide in Confeſſione tui Nominis perſeveraret, ut Vicarius tuus in ea gubernanda vices tuas ſanctè expleat, ut omnes Superiores Eccleſiæ, tam ſæculares, quàm ſpirituales, curent ſollicitè ſuos ſubditos tibi fideliter ſervire, ut totus orbis terrarum purgetur à fidei erroribus, & Eccleſiæ tuæ Sanctæ aggregetur; ut ſic Tu DEUS verus, & unus ab omnibus agnoſcaris, lauderis, tibíque ſerviatur.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem S. Spiritus, perſeverantiam in Sanctis operibus tribuat nobis Omnipotens & Miſericors DEUS, Amen.

Intentio Sacerdotis, dum ſtat in in medio Altaris, Miſſam jam jam inchoaturus.

O Infinita DEI Majeſtas! ego vilis creatura, & indigniſſimus peccator, Sacerdos tamen tuus & ablegatus, nomine totius Eccleſiæ tuæ hoc Sacrificium tremendum Corporis, & Sangvinis D. N. JESU Chriſti offerre, tibique Supremo Domino Hoſtiam infiniti valoris immolando, infinitam complacentiam cauſare omnibus viribus nunc intendo, juxta ritum & intentionem ejuſdem S. Eccleſiæ tuæ. Adjuva me DEUS, dignúmque Altari tuo fac miniſtrum, Amen.

ORDO

Ad faciendam Aquam Benedictam.

DIebus Dominicis, & quandocunq; fuerit, præparato sale & aqua munda benedicendâ in Ecclesia, vel Sacristia, Sacerdos superpelliceo & stolâ violaceâ indutus, primò dicit.

℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini,*

℟. *Qui fecit Cœlum & terram.*

Deinde absolutè incipit exorcismum salis.

EXorcizo te creatura salis per DEUM † Vivum, per DEUM † Verum, per DEUM † Sanctum per DEUM qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris Sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus te summentibus sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; descendat à loco, in quo aspersum fueris; omnis phantasia, & nequitia,

quitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus adjuratus. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, ℞. Amen.

OREMUS.

IMmēsam clementiam tuam Omnipotens æterne DEUS, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, Bene†dicere, & Sancti†ficare, tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & Corporis: & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditiâ; omniq; impugnatione Spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum, Amen.

Exorcismus aquæ: & dicitur sine Oremus.

EXorcizo te creatura āquæ in Nomine DEI † Patris Omnipotentis, & in Nomine JESU † Christi Filij ejus Domini nostri, & in virtute San-

cti † Spiritûs, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum cum Angelis per virtutem ejusdem Domini nostri JESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem, ℞. Amen.

OREMUS.

DEUS qui ad salutem humani generis maxima quæq; Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene † dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis, serviens ad abigendos dæmones, morbosq; pellendos, Divinæ gratiæ sumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda respeserit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxia: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens:

discedat

discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quìd est, quod, aut incolumnitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem Sancti tui Nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum, Amen.

Hic mittat salem in aquam in modum Crucis dicendo semel.

Commistio salis & aquæ pariter fiat in Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti, ℟. Amen.

℣. *Dominus vobiscum,*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEUS invictæ virtutis Auctor, & insuperabilis Imperij Rex, ac semper Magnificus Triumphator: qui adversæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, ut hanc

hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore Sanctifices: ut ubicunque fuerit aſperſa per invocationem Sancti tui Nominis omnis infeſtatio immundi ſpiritûs abigatur, terrorq; venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentes Sancti Spiritûs nobis miſericordiam tuam poſcentibus, ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrrum JEſum Chriſtum, &c.

Benedictio aquæ S. IGNATII.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum,
R. Et cum Spiritu tuo.

BEnedic † Domine creaturam iſtam aquæ, ut ſit remedium generi humano, & præſta pijſſimam miſericordiam tuam per JESU Chriſti Sanguinem, ac interceſſionem S. Ignatij, & omnium Sanctorum, ut quicunq; ex ea ſumpſerint, liberationem ab omni-

bus

bus malis, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum, R. Amen.

℣ Justum deduxit Dominus per vias rectas,

R. Et ostendit illi Regnum Dei.

OREMUS.

ADesto Domine supplicationibus nostris, quas in B. Ignatij Confessoris tui commemoratione deferimo, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum, R. Amen.

OREMUS,

DEUS, qui ad Majorem Nominis Tui gloriam propagandam novo per Beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborâsti, concede, ut ejus auxilio, & imitatione, certantes in terris coronari cum ipsô mereamur in Cælis. Per Dominum nostrum, &c.

Inten-

Intingantur Reliquiæ S. IGNATII, aut metallum, & dicatur.

COnfer Benignissime Domine JESU per contactum Reliquiarum Sancti tui Ignatij aquæ huic virtutem sanandi corpus & animam, pellendi omnia mala ab hoc loco, incolis, in Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti, Amen.

Effectus hujus aquæ.

AQua hæc bibitur ab ægro homine, aut pecude, aut membrum affectum signatur illâ per decem aut plures dies cum magna interim devotione ad S. Ignatium. Fiat confessio & Communio, jejunia, & eleemosyna, Sacra dicta vel audita in honorem S. Ignatij.

COntra omnis generis morbos, lepram, cancrum, febrim, pestem, hydropem, & contra spectrâ, lemures, & spiritus aspergatur in locis infectis, & affigatur Imago ejusdem Sancti.

ORA-

O R A T I O.

Propria post aspersionem aquæ super populum diebus Dominicis expeditam.

PRæsta nobis quæsumus Domine, hâc aquâ aspersis, sanitatem corporis integritatem mentis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem Fidei. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Forma Intentionis renovandæ ante Divinum Officium, atq; etiam ante SS. Missæ Sacrificium excerpta.

DOmine DEUS meus, ecce me & omnia terrena nunc cogitatione defero, ut Te solum unicum Bonum meum cogitem, alloquar, & concupiscam. Verè Tu es magnus, Tu es Sanctus Sanctorum, Rex Regum & Dominus Dominantium, & perfectionis Tuæ non est finis; ego autem miserrimus sum peccator, & omni-

L um

um fæditatum pleniſſimus, indigen[illegible] plane, qui coram Immenſa Majeſta[illegible] te Tua compaream, & os meum a[illegible] aliquid poſtulandum aperiam. Se[illegible] reſpice Domine in Faciem Chri[illegible] Tui, cujus ſum membrum; reſpic[illegible] in faciem Sponſæ tuæ Eccleſiæ Ca[illegible] tholicæ, cujus ſum filius, cujus etia[illegible] legatus ſum ad Te deſtinatus: & o[illegible] amorem ac merita tam Veneran[illegible] Capitis, & tam Sanctæ Matris, gr[illegible] tiam concede ad reverenter & dev[illegible] tè orandum, ac Sacrificandum p[illegible] neceſſitatatibus his - - pro perſon[illegible] his - - pro me, &c.

DOmine JESU Chriſte, ego hum[illegible] liter pro Tuo Honore obedir[illegible] Tibi fideliter ſervire, Teq; purè la[illegible] dare in unione illius perfectiſſim[illegible] attentionis, quâ Tu Patrem oraſti[illegible] laudaſti in terris, cupio; adjuva [illegible] igitur Gratiâ Tui Spiritûs S. ſine [illegible] jus aſſiſtentia, nihil poteſt boni hum[illegible] na infirmitas.

Orare ante tempus Prudentia.
In tempore Obedientia.
Post tempus, negligentia.
S. Augustinus.

Horas dicere ante tempus, Securitas.
In tempore Justitia.
Post tempus, negligentia.
S. Gregorius.

Qui orat ante tempus, timet DEUM.
Qui in tempore, laudat DEUM.
Qui post tempus, reddet rationem.
S. Bernardus.

ORATIO.

O Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, suscipe hanc orationem in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui Sacratissimi Corporis sustinuisti. Miserere mei famuli tui, & omnibus peccatoribus cunctisque fidelibus, tam vivis, quàm defunctis, da misericordiam, gratiam, remissionem, & vitam æternam, Amen.

OFFICIUM PARVUM DE DIVINA PROVIDENTIA,

AD MATUTINUM.

Adoremus Providentiam Altissimi: Nos populus, & oves pascuæ ejus.

℣. Domine labia mea aperies,

℟. Et os meum annuntiabit, &c.

℣ Deus in adjutorium meum, &c.

℟. Domine ad adjuvandum, &c.

℣. Gloria Patri & Filio & Spirit: S.

℟. Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

Æterne Rector siderum,
Qui, quidquid est Potentiâ
Magnâ creasti, nec regis
Minore Providentiâ.
Te turba prædicat famens,
Trina die tecum manens,
Quam pascis auctis panibus,
Rem plurimis stupentibus,
Panis deest cibus,

Sed provides Paſtor fidus
Patraſque mirabilia
Satiando multa millia.

ANTIPHONA.

Nolite ſoliciti eſſe dicentes · quid manducabimus, aut quid bibemus: ſcit enim Pater veſter Cæleſtis, quid vobis neceſſe ſit. *Matth:* 5.

℣. Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.

R. Non dabit in æternum fluctuationem juſto.

℣. Domine exaudi orationem &c.

R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

DEUS, cujus Providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus: ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum noſtrum Am.

AD PRIMAM.

Adoramus Providentiam Altiſſimi; Nos populus: &c. *cum reliquis ut ſuprà in Matutino.*

HYMNUS.

TU Pastor es famentium;
Tu Dux es exerrantium;
Tu medicus ægrotantium,
Tu fidus es natantium,
In rebus es spes perditis,
Redemptor in divenditis,
Tu nos juvas in prosperis,
Nec in periclis deseris.
Ditas egenos, advenas
Fovens, pupillos recreas.
Viduas Paternè protegis,
Omnes benignè contegis.

ANTIPHONA.

Dominus custodit advenas, pup-
lum, & viduam suscepit, *Psal:* 45.

℣. Iste pauper clamavit, & Do-
nus exaudivit eum.

℟. Et de omnibus tribulationi-
ejus salvavit eum.

℣. Domine exaudi oration: &c.

℟. Et clamor meus ad te venia-

ORATIO.

Deus, cujus Providentia in sui
spositione, &c. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

Adoremus, &c. *cum reliquis ut ſuprà in Matutino.*

HYMNUS.

SIti peremptus Iſmàël,
Inter Leones Daniel,
Junior Tobias in itinere,
Joſeph vocat te in carcere,
Sed quid vocare geſtiunt,
Adeſſe quem mox ſentiunt:
Præbes aquam, fauces premis,
Monſtras viam, vinculo eximis.
Ex corde te precantibus
Succuris, adſtas omnibus,
Vis colligari in vinculis,

ANTIPHONA.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. *Pſal:* 90.

℣. Prope eſt Dominus invocantibus eum.

℟. Omnibus invocantibus eum in veritate.

℟. Domine exaudi, &c.

ORATIO.

Deus, cujus &c. *ut ſuprà.*

AD SEXTAM.

Adoremus, &c. *cum reliquis ut ſu-prà in Matutino.*

HYMNUS.

O Provida ſapientia,
Sapiensque Providentia.
Tu tangis omne fortiter,
Diſponis omne ſuaviter,
Videmus axis cardinem.
Mariſq; certum marginem,
Mundi ſtupemus ordinem,
Rei creatæ imaginem:
Quid tellus, axis, æquora?
Mariſque certâ littora?
Quid cuncta clamant Entia?
Te mira Providentia.

ANTYPHONA.

Ne dederis cor tuum, ut pecca-facias carnem tuam, neque dicas co-ram Angelo: non eſt Providenti-
Eccl: 5.

℣.

℣. Cæli enarrant gloriam DEI.
℟. Et opera manuum ejus annunｰ
tiant firmamentum.
℣. Domine exaudi, &c.

ORATIO.

Deus, cujus &c. *ut ſupra.*

AD NONAM.

*Adoremus, &c. *cum reliquis ut ſuprà in Matutino.*

HYMNVS.

QUodcunque repit in ſolo,
Quidcunque volitat in Polo
Et quod movetur in æquore,
Te toto adorat pectore,
Te, quotquot auram pervolant,
Aves fatentur, quas tuâ
Nutris ſinè harum prævio
Labore, Providentiâ.
Non deſtruit, non obruit,
Quando halcyon ſibi ſtruit
Nidum, unda, vel fluctus maris:
Et ille fit curæ paris.

ANTIPHONA.

Reſpice volatilia Cœli, quoniam

non ferunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cœlestis pascit illa. *Matth*: 6.

℣. Oculi omnium in Te sperant Domine.

℟. Et Tu das escam illorum in tempore opportuno.

℣. Domine exaaudi oration: &c.

ORATIO.

Deus, cujus. &c. *ut supra.*

AD VESPERAS.

Adoremus, &c. *cum reliquis ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

AUrora dum spargit Polum
Ros vestit, ut gemmæ, solum
Notam facias DEUS Tuam.
Ipsi inde Providentiam
Per gurgites natantibus.
Tu provides, & piscibus,
Quos pascis omnes congruo.
Ex axe victu depluo.
Tu motor es moventium.
Tu Spiritus viventium,

Dire-

Director ordinantium.
Provisor almus omnium.

ANTIPHONA.

Laudate Dominum, qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum, *Psal*: 146.

℣. Aperis tu Domine manũ tuam
℟. Et imples omne animal benedictione
℣. Domine exaudi orationem &c.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

Deus, cujus &c. *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Adoremus Providentiam Altissimi:
Nos populus, & oves pascuæ ejus.
℣. Converte nos DEus salutaris noster
℟. Et averte iram tuam à nobis
℣. Deus in adjutorium meum intende
℟. Domine ad adjuvandum me festina
℣. Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.

℟. Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

TU, quæ gubernas omnia,
Regiſque Providentia,
Piâcla noſtra dilue,
Virtutis actus inſtrue,
Quod eſt futurum, prævidens,
Præſens quod eſt huic providens,
Largire quidquid proſperum,
Et tolle quidquid noxium.
Laus ſit Patri potentiâ,
Laus Filio Sapientiâ.
Laus Pneumati influentiâ
Orbem regenti in ſæcula.

ANTIPHONA.

Omnem ſolicitudinem veſtram projicite in Deum, quoniam ipſi cura eſt de vobis: 1. *Petr*: 5.

℣. Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi,

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Domine exaudi orat: &c.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORE-

OREMUS.

DEUS, cujus Providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum nostrum, &c.

COMMENDATIO.

Inter Beatos nomina,
Quicunque laudis carmina,
Canendo PROVIDENTIÆ
Se devovent DEUS Tuæ, Amen.

LITANIÆ
De Sanctissima DEI PROVIDENTIA,
Ex Locis Sacræ Scripturæ excerpta.

Kyrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater qui omnibus providisti in Creatione, Miserere nobis.

Fili,

Fili, qui omnibus, providisti in Redemptione, Miserere nobis.

Spiritus Sancte; qui omnibus providisti in Missione, Miserere nobis.

Sancta Trinitas, à qua, per quam, & in quà sunt omnia: Miserere nobis. *Ad Rom*: 11.

DEUS, qui tua Providentia quinque millia Virorum, quinque panibus, & duobus piscibus satiasti, *Joan*: 6. Miserere nobis.

DEUS, qui tuâ Providentiâ quatuor millia septem panibus, & paucis pisciculis replevisti, *Mar*: 8. miserere.

Qui in Cana Galilææ tuâ Providentiâ aquam in vinum mutasti, miserere.

Qui Petrum carceri inclusum Tuâ Providentiâ è manibus Herodis per Angelum eripuisti, *Act*: 11. Miserere nobis.

Qui Nòé tuâ Providentiâ à communi diluvio præservasti, *Gen*: 8. Miserere nobis.

Qui Loth Tuâ, Providentiâ de Gomor-

morrhæo, & Sodomitico igne eduxisti, *Gen:* 9. Miserere nobis.

Qui ad vocem Ismàélis siti emorientis oculos Agar aperuisti, & tuâ Providentiâ per Angelum ei aquam indigitâsti, *Gen:* 12.

Qui Joseph à Fratribus venditum tuâ Providentiâ in Ægypto exaltâsti, & per eum toti Ægypto panem providisti, *Gen:* 45.

Qui Moysen in Fiscella scirpea occlusum, & Aquis impositum Tuâ Providentiâ conservâsti, *Exod:* 2.

Miserere nobis.

Qui Israeli à Pharaone fugienti aquas maris tuâ Providentiâ exsiccasti, & Equitatum ejus cum curribus submersisti, *Exod:* 14.

Qui Israelitis in Marath amaritudinem aquarum tuâ Providentiâ in dulcorē vertisti, *Exod:* 15.

Miserere nobis.

Qui Isràélitis tuâ Providentiâ coturnices pluisti, *Exod:* 16.

Qui Isràélitis in Raphidim Tuâ Provi-

Providentiâ aquas de Petra eduxisti, *Exod*: 17.

Qui Samsoni siti enecto è dente molari in maxilla asini aquas tuâ Providentiâ prosilire fecisti, *Jud*: 15.

Qui Saul, patris asinos quærentem tuâ Providentiâ ad Samuelem perduxisti, & in Regem ab eo ungi voluisti, 1. *Reg*: 9.

Miserere nobis.

Qui per inermem David tuâ Providentiâ de grandi Goliath triumphantem, opprobrium ex Israël abstulisti, *Ibid*: 17.

Qui Eliam in torrente Carith tuâ Providentiâ per corvos pavisti, 3. *Reg*: 17.

Qui per mulierem Sarephtanam, Eliam tuâ Providentiâ sinè diminutione farinæ, & olei faciâsti, *Ibid*: *eodem*.

Miserere nobis.

Qui Eliæ per Angelum tuâ Providentiâ panem subcinericeum misisti,

Qui

Qui per Eliſeum viginti panibus centum viros, ita ut adhuc panis ſuperfuerit tuâ Providentiâ ſatiâſti. *Ibid*: 4.

Qui per Raphaelem, juniori Tobiæ tuâ Providentiâ comitatum dediſti, & patri ejus, exenterati piſcis felle viſum reſtituiſti, *Tob*: 5.

Qui ananiam Miſaelem, & Azariam in medio ignis illæſos tuâ Providentiâ conſervâſti, *Dan*: 3.

Qui Danielem in lacu leonum per Abacuc, tua Providentiâ ab Angelo eò apportatum paviſti, *Ibid*: 24.

Qui Danielem in lacu leonum à morſibus tuâ Providentiâ intactum præſervaſti, *Dan*: 6.

Qui innocentiam Suſannæ per Danielem tuâ Providentiâ detexiſti, *Dan*: 13.

Qui Jonam de ventre ceti poſt triduum tuâ Providentiâ eduxiſti, *Jona* 2.

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

De-

DEUS, à cujus Providentia omnia expectant, ut des illis escam in tempore, *Psal*: 103.

Deus, in cujus Providentia est bonum confidere, quàm confidere in homine, *Psal*: 117.

Deus, in cujus Providentia est bonum sperare quam sperare in Principibus; *Ibid.*

Deus, cujus Providentia dat escam omni carni, *Psal*: 135.

Deus, in cujus Providentiam oculi omnium sperant, & das escam illorum in tempore opportuno, *Psal*: 144.

Deus, qui Tuæ Providentiæ manum aperis, & imples omne animal benedictione, *Ibid. eod.*

Deus, qui tuâ Providentiâ advenam pupillum, & viduam suscipis. *Psal*: 145.

Deus, cujus Providentia dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eam. *Psal*: 146.

Deus

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Deus, apud cujus Providentiam nec unius passeris est oblivio, *Luc:* 12.

Deus, cujus Providentia omnes capitis nostri capillos numeravit. *Ibid:*

Deus, qui tuâ Providentiâ pascis volatilia Cœli, *Matth:* 6.

Deus, cujus Providentia vestit lilia agri,

Miserere nobis.

Providus nobis esto, Parce nobis Domine.

Providus nobis esto, Exaudi nos D.

Ab oblivione beneficiorum tuorum, Libera nos Domine.

A nimia cura & solicitudine, Libera.

A propria nostra voluntate, Libera.

Ab inordinata in adversis tristitia &c.

Per admirabilem Incarnato Tuo Filio, factam mundo Providentiam, &c. Libera nos Domine.

Per Providentissimam panis Eucharistici in universo orbe multiplicationem, &c. Libera nos Domine.

Pecca-

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Nè peccare faciamus os nostrum neque unquam opere dicamus coram Angelo: non est Providentia, *Eccl:* 5. Te rogamus audi nos.
Ut nos in te curam nostram jactare concedas, & ipse nos enutrias, *Psal:* 54. Te rogamus audi nos.
Ut nos primùm quærere Regnum tuum, & justitiam concedas, & cætera ex tua Providentia nobis adjicias, *Matth:* 6 Te rogamus.
Ut Pontificem nostrum N. Antistitem N. & Imperatorem N. Tuâ Providentiâ tegere, & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Cultores Tuæ Providentiæ multiplicare digneris, Te rogamus.
Ut nos omnes sub tuam Sanctam & specialem Providentiam suscipere digneris, Te rogamus audi nos.
Pater cujus Providentia omnia gubernat, *Sap:* 12. Te rogamus audi nos.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Domine.
℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi,
℟. sub umbra alarum tuarum protege nos.

DEUS, cujus Providentia in sui dispositione non fallitur; te supplices exoramus ut noxia cuncta submoveas & omnia nobis profutura concedas. Per D. nostrum, Amen.

ORATIO.

Pro impetranda nostra voluntatis cum Divina Providentia in omnibus conformitate.

DEUS qui ad manifestandam Tuæ Providentiæ gloriam; Te famenti populo Israëlitico in Pastorem, Danieli in Defensorem, Susannæ in Advocatum, Tobiæ in Ducem vendito Joseph

Joseph In Redemptorem, tribus pue-
ris Conservatorem, Pupillis, Adve-
nis, egenis & Viduis in Patrem dedi-
sti, & omnia omnibus fieri voluisti:
Te humillimè deprecamur, ut sicut
de Tua Providentia lætamur in pro-
speris, ita exultemus in adversis, &
quâ spe à Tua Providentia expecta-
mus desiderata, eâ tolerantiâ perfera-
mus omnia tibi placita: non extolla-
mur in prosperis non dejiciamur in
adversis. Da nobis Domine animum
invictum cor immobile, voluntatem
in omnibus Tuæ Providentiæ con-
formem. In Te quiescat, & movea-
tur cor nostrum, nihil nos turbet quod
est à Te sed omnia sint nobis chara
propter Te. Nihil adversum nos mo-
veat, quia affligit, sed placidet cor
nostrum quia à Te procedit. Agno-
scamus hanc veritatem quod nihil sit
parvum, quod à summo DEO datur,
nihil nocivum, quod ab amantissimo
Patre, aut injustū quod ab æquissimo
Judi-

Judice provenit. Tua enim sola Domine Providentia attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia svaviter, & quæcunque omittit, licet nobis quandoque videantur contraria sunt tamen in bonum finem ordinata. Quidquid igitur nobis immittis, da Domine, ut hoc gratè excipiamus, lætè teneamus, patienter cõservemus. Per Dominum nostrum, &c.

OFFICIUM

De Sancto & glorioso Apostolo in rebus desperatis singulari Patrono.

JUDA THADÆO,

AD MATUTINUM.

℣. Sancte JUDA ora pro me,
℟. Et omnibus qui colunt Te,
℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit, &c.
℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.

℣.

v. Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.
℟. Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

SAnctum JUDAM collaudemus,
Cœli civem celebremus
Condignis encomijs,
Particeps qui Passionis
Dono retributionis
Gaudet cum Apostolis.
Lumen erat & Dux viæ
Cœcæ genti, & MARIÆ.
Junctus erat sangvine
Habuit Alphæum Patrem
Ejus confitetur Matrem
Se Maria Cleophæ.

AMTIPHONA.

Qui timet Deum, faciat bona, & qui continens est Justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quasi Mater honorificata. *Eccl:* 15. v. 12.

v. Sancte Juda Patrone fidelissime.
℟. Placato à nobis Deũ clementiæ.

ORATIO

DEUS, cujus bonitas & clementia exhau-

exhauriri non poteſt, aures beni-
gnas famulorum famularumque tua-
rum precibus, inclina, & præſta, ut
omnes qui te in Apoſtolo tuo JUDA
THADÆO devotè recolunt, me-
ritis ejus, petitionis ſuæ effectum
conſequantur, Amen.
v. Benedicamus Domino
R. Deo gratias.
Fidelium animæ Defunctorum, &c.

AD PRIMAM.

v. Sancte Iuda &c. *cum reliquis ut ſupra in Matutino.*

HYMNUS

Duodenos eligebat
Chriſtus quibus decernebat
Munus Apoſtolicum,
Dei nutu deputatus
Et THADÆUS, eſt relatus
In eorum numerum.
Tradidit hic mox divinam
Idololatris doctrinam,
Docens eos impiger;
Per miranda quæ patravit.

Quod docebat, confirmavit,
Augens fidem fortiter.

ANTIPHONA.

In medio Ecclesiæ aperuit Os ejus, & implevit illum Dominus Spiritu sapientiæ & intellectûs, stolâ gloriæ induit eum. *Eccl: 15. v. 5.*

℣. Sancte Juda &c. Placato nobis.

ORATIO *ut supra.*

℣. Benedicamus. Fidelium anima.

AD TERTIAM.

℣. Sancte Iuda, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Clara Judæ sunt portenta.
Quæ confirmant Instrumenta,
Data ab Abagaro,
Huic à se baptizato:
Falsâ Fide liberato,
Profuit auxilio.
Nec in anima curabat,
Regem tantum, quod rogabat;
Iuvit & in corpore;
Reddita dum sanitate,
Facta sibi potestate,

Lepram iussit cedere.

Antiphona. Eccli: 15. v. 3.

Cibavit illum pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum Dominus DEUS noster.

℣. S. IUDA, &c. ℟. Placato nobis.

ORATIO *ut supra.*

℣. Benedicamus. &c. Fideliū animæ.

AD SEXTAM.

. Sancte JUDA, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Tuus Zelus non quievit.
Sancte JUDA, qui non sprevit.
Regionem Persiæ,
Hic Idola confundebas,
Fidem felix invehebas.
Et Mesopotamiæ.
Inde turba Sacerdotum,
Conabatur ut te totum,
Quovis modo perderet,
Cùm Te Christum prædicante;
Non Idolum, sicut ante,
Verba prompta redderet.

Antiphona Eccli; 39. v. 4. 5.

In medio Magnatorum ibi ministravit, & in conspectu Præsidis apparuit, in terram alienigenarum gentium pertransijt, bona enim & mala in hominibus tentavit.

v. S. JUDA, &c. Placato nobis. &c.

ORATIO *ut supra.*

AD NONAM.

v. Sancte JUDA, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Dum Tu cupis propagare
Christi fidem; Te fugare
Dolus vult diaboli:
Cui tamen non cessisti,
Imò cunctis ostendisti
Vanas fraudes Erebi,
Quidquid mundi, contempsisti,
Quod cæpisti docuisti
Cum gentis solamine;
Operam non perdidisti,
Christo multos peperisti
Verbi DEI semine.

Antiphona. Eccli: 36. v. 11.
Ipse palam fecit disciplinam Doctri-
nae

næ suæ, & Lege Testamenti Domini gloriatus est.

v. Sancte Juda, &c. ℞. Placato nobi.

ORATIO *ut supra.*

v. Benedicamus, &c. Fideliū animæ.

AD VESPERAS.

v. Sancte IUDA, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Quam Zelosè conscripsisti,
Colimus Epistolam;
In qua studes nos docere:
Viam Regiam tenere,
Quæ ducit ad Patriam.
Orbis Tibi fert terrarum,
Sancte IUDA Nomen clarum.
Præconis Eximij;
DEI Te dicunt Legatum,
Vindicemque Veritatum
Venerantur Ethnici.

Antiphona. Eccli: 39. v. 9.

Ipse tanquam imbres emisit eloquia sapientiæ suæ, in oratione Confessus est Domino.

v S. IUDA, &c. R. Placato nobis.

ORATIO *ut supra*

℣. Sancte IVDA, &c. *ut supra.*

℣. Converte nos DEVS salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. DEVS in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

HYMNVS.

Tandem finis est dolorum,
Merces venit & laborum,
Larga tollis prœmia:
Virtus tua triumphavit,
Numen mirè Te ornavit,
Martyrum Laureolâ.
Nam ab his, quos edocebas
Veram fidem, perferebas
Mortem cæsus fustibus,
Vitam DEO reddidisti,
Sed sic polum subijsti,
Gaudens cum Cælitibus,

Antiphona. Iacobi, 1. v. 12.

Beatus Vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromi-

sit DEVS diligentibus se.
℣. S. JVDA, ℟. Placato nobis, &c.
ORATIO, *ut supra.*
v. Benedicamus Domino.
℟. Et Fidelium animae: &c.

COMMENDATIO.

Apostole Lectissime:
Et Martyr Invictissime
IUDA, preces clientis
Vt consvevisti respice,
Devotae celer suscipe
Hanc pronitatem mentis.
Attende vim certaminis,
Virtutem pete Flaminis,
Pro qua has preces promo:
Accedit finis Staminis.
Horror venit examinis,
Non titubem in bono;
Semper me ad hoc animem;
Nè animam contaminem
Quae meus est thesaurus,
Tu meus semper Doctor sis,
Nè mihi sit cum DEO Lis;
Sic mihi manet Laurus.

LITA-

LITANIÆ
DE S. APOSTOLO
JUDA THADÆO,

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere.
S. JUDA THADÆE, JESU & MARIÆ Conſangvinee, Ora pro nobis.
S. Thadæe, qui Sanctiſſimas Perſonas JESUM & MARIAM videre, earumque ſvavi colloquio frui dignus fuiſti, Ora pro nobis.
S. Thadæe, qui Prodigiorum Chriſti fidelis teſtis extitiſti, Ora pro.
S. Thadæe, qui à Chriſto ad Dignitatem

tatem Apostolatùs evectus es, Ora pro nobis.

S. Thadæe, qui Dilectissimò Magistro Tuo Christo, summa cum verecundiâ pedes lavandos porrexisti,

S. Thadæe, qui in ultima Cæna Sanctissimam in Eucharistiam è manibus dilectissimi Magistri summa cum Reverentia suscepisti,

S. Thadæe, qui mortem Christi amarè deplorans post Resurrectionem cum gaudiosissimè Cœlos conscendere vidisti,

Ora pro nobis.

S. Thadæe, qui in Pentecoste cum Coapostolis Tuis Spiritu Sancto repletus es,

S. Thadæe, qui Christo in Cœlos ascendente, in Persidem ad barbaras nationes Evangelio imbuendas Te contulisti.

Ora pro nobis.

S. Thadæe, qui Doctrinâ Tuâ innumeros Infideles ad veram

Reli-

Religionem perduxisti.

S. Thadæe, qui Spiritûs S. virtute, maxima prodigia patrasti.

S. Thadæe, qui Regis Abagari animam ab infidelitate corpus à lepræ contagione mundasti.

S. Thadæe, qui Divina virtute dæmones in Idolis elingves fecisti, magorumq; præstigias contudisti.

S. Thadæe, qui belli Duci Baradach pacem cum hostibus prospere componendam vaticinatus es.

S. Thadæe, qui serpentibus, ne veneno homines inficerent, potestatem ademisti.

S. Thadæe, qui spretis impiorum minis, veræ fidei dogmata impavidè tradidisti.

S. Thadæe, qui tandem pro Christi Nomine fustibûs occisus, Sanctum vitæ cursum consummâsti.

S. Thadæe, nos clientes tui, Ora.

Ut precibus Tuis Rectoribus Eccleſiæ, cunctisque Chriſtianis Catholicæ fidei Zelum, & conſtantiam obtinere digneris, Te rogamus.

Ut Romano Imperatori, omnibuſque Principibus Chriſtianis pacem, concordiam, & ad hoſtes debellandos, vires impetrare digneris, Te rogamus audi n.

Ut DEus meritis Tuis hæreticos ac Ethnicos ad veram fidem convertere dignetur,

Ut fidem, ſpem, & charitatem, in nobis augere digneris,

Ut pravas cogitationes, omnesque dæmonis inſidias à nobis, avertere digneris,

Ut omnes honori Tuo, devotione addictos tutelâ Tuâ fovere digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut eos à peccatis, eorumque occaſionibus præſervare digneris.

Ut eos ante obitum Venerādis Sacra-

cra-

cramentis digne expiari facias,
Ut eos in agone confortare & contr
dæmonum incursus defendere di
gneris, Te rogamus audi nos.
Vt blandam eis, Iudicis faciem, beni
gnamque Sententiam exorare di
gneris, Te rogamus audi nos.
Vt eos in regionem viventium, gau
dijs æternis potituros introducere
digneris, Te rogamus audi no
Agnus DEI qui tollis peccata mundi
Parce nobis Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi
Miserere nobis.
℣. O Sancte IVDA, Tu nobis im
petra.
℟. Nè DEUS sumat ibi supplicia
ORATIO *ut supra.*
℣. Sancte JUDA, ora pro me, &c.
OREMUS.
GLoriose Christi cognate, Apostole
& Martyr; S. IUDA qui vastis-

simis

fimis in regionibus fidem efferatis gentibus disseminâsti virtutibus ac miraculis clarus, innumerabiles Filios IESU Christo peperisti: per illum qui Te sibi Apostolum adscivit, precor, ut me miserum à consvetudine peccatorum meorum abstrahas, à cogitationibus immundis me tuis meritis præserves, & in rebus desperatis tuo mihi adsis Patrocinio; ac tandem ad Cæleftem gloriam tuis precibus evehas: ubi Sancta Trinitas adoratur in Patre, & Filio, & Spiritu S. Amen.

ORATIO AD S. JUDAM THADÆUM.

Singularem apud DEUM Advocatum eorum qui pusillanimitate in adversis pressi, pene ad desperationem propendent.

SAnctiffime Apostole, Fideliffime Christi serve & amice; JUDA

THADÆE; qui ob proditoris Nomen ex quorundam simplicitate indebito Tibi cultu desereris ob Tuam vero Sanctissimam & Apostolicam vitam ubique ferè terrarum à vera Ecclèsia specialis calamitosorum, & penè desperantium Advocatus invocaris, & pientissimé coleris. Ora DEUM pro me misero, ut per Tua merita in tribulationibus & angustijs meis consolationem recipiam, DEI ac tuum auxilium (præsertim in præsenti perturbatione & angustia: NN.) ac tandem in hora mortis meæ; atque Tecum & cum omnibus Electis DEUM æternum amemus & benedicamus, Amen.

ORATIO

Ad Sacratissimum COR *Christi* JESU.

O Amantissime JESU! qui ad attrahendum tui amore corda nostra Sacratissimum Cor Tuum in Sacramento Altaris in cibum & solatium

nobis

nobis largiri voluisti: exaudi orationem Te invocantium, & concede propitius, ut omnes, qui Divini Cordis hujus inhonorationem, hominumque ingratitudinem execrantur ac deplorant, atque ad eam compensandam, omnem possibilem honorem Cordi huic exhibere conantur, Sancti Cordis hujus amore inflammentur, tuamque bonitatem erga illud aeternum laudare valeant, Amen.

Omnibus & singulis, qui hanc Orationem post Confessionem & Communionem ante Imaginem Cordis Christi IESU, flexis genibus & devotè recitaverint, 36, dierum: ijs verò qui aliàs illam dicto modo recitaverint 100. dierum Indulgentias concessit Illustrissimus & Reverend: DD. ANDREAS Sanctacrucis per Rom: Imp: districtum & Terras Haereditarias Nuntius Apostolicus.

Viennae 27. Martij 1799.

ASPIRATIONES AMOROSÆ AD CHRISTUM CRUCIFIXUM.

I.

O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe. Creator meus, Formator meus, qui creâsti me, & formâsti me ex nihilo mei, recrea me reforma me iterũ ex nihilo mei, ex tua Misericordia ad tuam formam imaginem purissimam Sanctissimam omnibus Virtutibus DEO Dignissimam, Charitate ignitissimam, nunc & pro illo momento, in quo exspirabo.

II. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe. Redemptor meus pone me numera me, confirma me, obsigna me, Corde tuo amorosissimo inter Redemptos; nunc & pro illo momento, in quo exspirabo.

III.

III. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe; vita mea, vivifica me in Te, per Te, & propter Te vitâ Sanctâ, tuam Incarnatam Sanctitatem, puritatem, pulchritudinem sine umbra peccatorum semper & ubique coram Te & hominibus ferente, exprimente spirante, nunc & pro illo momento, &c.

IV. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe, Fortitudo meá, ne permitte me ulli tentationi, peccato dæmoni, separari à Te toto vitæ meæ tempore: nunc & pro illo momento, in quo &c.

V. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe, Elector meus qui tibi & non alteri secundùm svavissimum beneplacitum tuum elegisti me, eligam Te, teneam Te possideam Te, complectar Te, toto corde meo, tôtâ animâ meâ, totis viribus meis, toto me, toto Te, fidelissimè amorosissimè penetrativè, immersivè quia Tu

Tu es unicum verumq; bonum meum, & pro illo, &c.

VI. O Charitas DEUS meus, JESU Crucifixe, amor meus, & amator meus, qui sine ullis meritis meis, imò cum innumerabilibus demeritis adamâsti me; amem Te, toto me, toto Te, totâ Tuâ Omnipotentiâ, totâ Sapientiâ, tota bonitate, tota charitate, tota immensitate, tota Tua plenitudine, tota infinitudine. Amem amores tuos, quibus amas Te, Patrem æternum, & Spiritum Sanctum, Beatam Virginem Matrem tuam, Angelos & Beatos in Cælo, & justos in terra, & omnia quæ creasti. Amem & amores omnium amatorum tuorum fidelissime, purissimè, perfectissimè, gratis, & sine intuitu ad præmium, ac sine desiderio, & spe mercedis, nunc & pro illo momento in quo exspirabo.

VII. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe, Sapientia mea, amem Te

Te totâ Sapientiâ Tuâ, ne amem inimicam DEO, Tibi, & mihi, mundi carnis Sapientiam, amem Te totâ Sapientiâ tuorum Sanctorum, ne unquam amem, (quam & modo execror) Sapientiam impiorum nunc & pro illo momento in quo exspirabo.

VIII. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe, dulcedo mea dulcedo Angelorum, Beatorum & justorum. Imple me, satia me, inebria me, merge & submerge me in Te, & tota abyssali Tua dulcedine; ut tota mundi & Carnis dulcedo, mihi evanescat, extingvatur, annihiletur nunc & pro illo momento in quo exspirabo.

IX. O Charitas DEUS meus Crucifixe, divitiæ meæ, Thesaurus meus, omne bonum meum. Quidquid Tibi deest in me sicut multa deesse est necesse, supple Tibi per Te, & per Divitias Tuas, quas habes in Te, hoc est per tuam perfectissimam Charitatem, nunc & pro illo momento in quo exspirabo.

X.

X. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe, omnipotentiâ Tuâ, corrobora me contra hoſtes tuos & meos, corrobora me nunc Omnipotenti Charitate Tua morte fortiori, mortemque ſuperante, ne timeam pro Te mori nunc & pro illo momento in quo exſpirabo.

XI. O Charitas DEUS meus JESV Crucifixe Solatium meum & Refugium meum ad Te confugio in omni adverſitate & deſolatione mea, pro ſolatio; ideoque in Tuis Vulneribus abſconde me ab omnibus adverſitatibus & deſolationibus meis, nunc & pro illo momento in quo exſpirabo.

XII. O Charitas DEus meus JEſu Crucifixe, Virtus mea, omnes virtutes, & omnia in me bona opera operare, omnia perfice, conſumma & in Corde tuo benedicto conſerva ſanctifica, dignifica, ex tua Pretioſitate fac pretioſa ad guſtum ſvaviſſimæ Tuæ voluntatis, Bonitatis, Dignitatisque

Tuæ, nunc & pro illo momento, &c.

XIII. O Charitas DEVS meus JESU Crucifixe, Amor meus perpetuus, amorem meum Amori tuo conjungo, consocio, unio consecro, conviscero, & identifico, & amo Te amore immutabili, inceſſabili, inſatiabili æterno, & à tuo amore abſorbto: in tuum, per tuumque amorem transformato, & amare deſidero, nunc & pro illo, &c.

XIV. O Charitas DEUS meus JESU Crucifixe, fac me tibi viventi conviventem, patienti compatientem, ut vita mea nihil aliud ſit niſi tibi convivere, & tecum & de te, & pro te vivere, tecum pati & propter te pati; ſimulque tibi commori, ſeu tecum & pro Te mori ſingulis diebus, ſingulisque dierum horis, & horarum momentis in exceſſiva & ab exceſſiva charitate, nunc & pro illo momento.

XV. O Charitas DEus meus IESU

Crucifixe, vocem tuam ſvaviſſimam, dulciſſimam, deſideratiſſimam audire deſidero. *Confide Fili remittuntur tibi peccata tua.* Dic animæ meæ *Salus tua ſum.* Dic cordi meo. *Dimiſſa tibi ſunt peccata tua.* Dic expectationi, ſpei, & deſiderio meo. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Dic amori meo, dic affectibus meis. *Venite Benedicti, &c.* Dic amori tuo, dic ſervo tuo. *Euge ſerve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui* In gaudium illud, in quo ipſo Dominus meus & DEVS meus in ſeipſo, & de ſeipſo, & propter ſeipſum gaudet, gaudebitque in æternum, nunc & pro illo momento in quo exſpirabo.

ORA-

ORATIONES S. BRIGITTÆ.

Quas, dum ante Crucifixi Imaginem quotidie recitaret, Christus Dominus, eidem revelando; per decursum unius anni, illas devotè recitantibus, plura beneficia appromisit.

ORATIO I.

O JESU Christe, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium, & omne desiderium, salus & amator peccatorum, qui delicias tuas testatus es esse cum Filijs hominum, homo factus in fine temporum: memento omnis præmeditationis & intimi mæroris, quem in humano corpore sustinuisti, instante saluberrimæ passionis tuæ tempore, in divino corde præordinato.

Memento tristitiæ, & amaritudinis, quam in anima, te ipso testante, habuisti, quando in ultima cæna, Di-

ſcipulis tuis, Corpus & Sangvinem tuum tradidiſti, pedes eorum lavaſti, & dulciter eos conſolans imminentem paſſionem prædixiſti.

Memento omnis timoris, anguſtiæ, & doloris, quem in tuo Corpore delicato, ante Paſſionem Crucis tuæ pertuliſti, quando poſt trinam orationem, & ſangvineum ſudorem, à Juda Diſcipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falſis teſtibus accuſabaris, à tribus Judicibus injuſtè judicabaris; in electa Civitate, in Paſchali tempore, in florida corporis juventute, innocenter damnabaris, veſte propria exuebaris, & veſtibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, ſpinis coronabaris, arundine in capite feriebaris & innumerabilibus alijs calumnijs lacerabaris.

Da Domine DEus mihi quæſo, ob

ob memoriam harum pœnarum & Passionum, ante Crucis tuæ Passionem, veram ante mortem meam contritionem, puram Confessionem, dignam satisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remissionem, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO II.

O IESU mundi fabricator, quem nulla dimensio, vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amarissimi doloris, quem sustinebas, cum Iudæi Sanctissimas manus tuas, ad Crucem obtusis clavis primò affixerunt, & ad perforandum delicatissimos pedes tuos, cum non esses conveniens voluntati eorum, dolorem super dolorem vulneribus tuis addiderunt, & sic crudeliter te distraxerunt, & extenderunt in longum & latum Crucis tuæ, ut dissolverentur compages membrorum tuorum.

Depre-

Deprecor te, per hujusmodi sacratissimi, & amarissimi in Cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem & amorem tuum, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO III.

O IESV Cælestis medice, recordare langvoris, livoris, & doloris, quos in alto Crucis patibulo levatus, passus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in suo statu rectè permanserat, ita ut nullus dolor, similis tuo dolori inveniretur, quia à planta pedis, usq; ad verticem capitis in te non fuit sanitas, & tamen omnium dolorum immemor, Patrem pro inimicis piè exorasti, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Per hanc misericordiam, & ob memoriam illius doloris, concede ut hæc memoria Passionis tuæ amarissimæ, sit omnium peccatorum meorum plena remissio, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO IV.

O IESV vera libertas Angelorum, Paradisus deliciarum, memento mæroris & horroris, quos sustinebas, cum omnes inimici tui quasi leones ferocissimi, te circumsteterunt, & colapizationib9, consputationib9, ungulationibus, cæterisq; pœnis inauditis te molestaverunt.

Per has pœnas, & per omnia contumeliosa verba, durissimaq; tormenta, quibus te Domine IESV Christe omnes inimici afflixerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis, visibilibus & invisibilibus, & dones me sub umbra alarum tuarum, ad perfectiorem salutis æternæ pervenire, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO V.

O IESU speculum claritatis æternæ, memento illius mæroris, quem habuisti, quando in speculo serenissimæ Majestatis tuæ, conspexisti præ-

desti-

destinationem electorum, per merita tuæ Passionis salvandorum, & reprobationem malorum per sua demerita damnandorum, & per abyssum miserationis tuæ, qua nobis perditis peccatoribus, & desperatis tunc condoluisti, & quam latroni in Cruce exhibuisti dicens: Hodie mecum eris in Paradiso. Rogo te IESV, facias mecum misericordiam in hora mortis meæ, Amen.

Pater noster, Ave Maria

O IESV Rex amabilis, & amice totus desiderabilis, memento illius mæroris, quem habuisti, quando nudus & miserabilis in Cruce pependisti, & omnes amici tui, & noti tui adversùs te steterunt & nullum consolatorem inveniebas, nisi solam dilectam Genitricem tuam in animæ suæ amaritudine, tibi fidelissimè adstantem, quam Discipulo tuo commendasti dicens: Ecce Mater tua, deinde Discipulo, Mulier ecce Filius tuus,

Rogo

Rogo te pijſſime IESV per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus & Spiritualibus, & da mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO VII.

O IESV fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu, in Cruce dixiſti: Sitio, ſcilicèt ſalutem generis humani, accende quæſo cordium noſtrorum deſideria, ad omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ, æſtum mundanæ delectationis, in nobis penitùs refrigera, & extingve, Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO VIII.

O JESU dulcedo cordium, ſvavitas mentium, per dinem fellis, & aceti, q

bis ſuſtinuiſti in Cruce, & deguſta-ſti: concede nobis miſeris peccatori-bus, Corpus & Sangvinem tuum omni tempore, & præcipuè in hor[a] mortis noſtræ dignè percipere ad re-medium, & conſolationem anima-rum noſtr[o]rum, Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO IX.

O JESU regalis virtus, jubilusq; mentis, memento anguſtiæ & doloris, quem paſſus es, quando præ mortis amaritudine, & Judæorum inſultatione, cum magna voce te à DEO Patre derelictum clamaſti di-cens: *DEUS meus, DEUS meus: ut quid me dereliquiſti?* per hanc angu-ſtiam peto à te, ut in anguſtijs noſtris non derelinquas nos Domine DEUS noſter, Amen.

Pater noſter, Ave Maria

[O]RATIO X.

[O JESU] Alpha & Omega, vita & [virtus om]ni tempore, recordare quod

quod à summo Capitis, usquè ad plantam pedis, te pro nobis in aqua passionis tuæ demersisti.

Propter latitudinem, & longitudinem Vulnerum tuorum, doce me, in peccatis demersum, per veram charitatem custodire latum mandatum tuum, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO XI.

O IESV Abyssus profundissima misericordiæ, rogo te propter profunditatem Vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium & viscerum tuorum, ut me submersum in peccatis emergas, abscondasq; me in foraminibus Vulnerum tuorum, à facie iræ tuæ, donec pertranseat furor tuus Domine, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO XII.

O IESV veritatis speculum, signum unitatis, charitatisq; vinculum, memento multitudinis innumerabili-

um

um Vulnerum tuorum, quibus à summo Capitis, usq; ad imum pedis vulneratus fuisti, & Ss. Sangvine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris, in Virginea carne tua pertulisti pro nobis pie IESV! Quid ultra debuisti facere, & non fecisti?

Scribe quæso, ô pie IESV, omnia vulnera tua in corde meo, pretiosissimo Sangvine tuo, ut in illo legam dolorem tuum & mortem, ut in gratiarum actione, usq; in finem jugiter perseverem, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO XIII.

O IESV Leo Fortissime, Rex immortalis & invictissime, memento doloris quem passus es, cum omnes vires Cordis & Corporis tui, tibi penitùs defecerunt, & inclinato Capite dixisti: *Consummatum est.*

Per hanc angustiam & dolorem, miserere mei, in ultima consummatione exitus mei, cum anima mea anxi-

anxiata fuerit, & Spiritus meus conturbatus, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO XIV.

O IESU Vnigenite altissimi Patris, splendor & figura substantiæ ejus, memento obnixæ commendationis, qua Patri Spiritum tuum commendasti dicens: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Et lacerato Corpore, rupto Corde, cum valido clamore, patefactis visceribus misericordiæ tuæ, expirasti.

Per hanc pretiosissimam mortem precor te Rex Sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni, & sangvini, ut mundo mortuus tibi vivam, & in novissima hora exitus mei suscipe ad te revertentem spiritum meum exulem & peregrinum, Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO XV.

O IESU vitis vera, & fæcunda, me-

men-

mento super effluentis, & abundantis effusionis Sangvinis tui, quem tu de Corpore tuo sicut de botro expressum, copiosissimè effudisti, quando in Cruce torcular solus calcasti, & lancea militari perfosso latere, nobis Sangvinem & aquam propinasti, ita ut nec minima gutta in te remaneret; & demùm quasi myrhæ fasciculus in tu am suspensus fuisti & delicata Caro tua evanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit, & medulla ossium tuorum emarcuit.

Per hanc amarissimam Passionem, & pretiosi Sangvinis effusionem: pie IESV, precor te, suscipe animam meam in agone mortis meæ, Amen.

Pater noster, Ave Maria

CONCLVSIO.

O Domine IESV Christe, Fili DEI vivi, suscipe hanc orationem in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui Sanctissimi Corporis sustinuisti, & miserere famuli tui

N. &

N. & omnibus peccatoribus, cunctisq; fidelibus tam vivis quam defunctis, da misericordiam, gratiam, remissionem omnium pecatorum meorum, & vitam æternam, Amen.

EXERCITIUM ULTIMUM,

In his eliciendis actibus in quibus quisq; bene moratus mori vellet.

ACTUS 1mus.

Expoliationis sui ab omni affectu rerum terrenarum.

1. EXinanio me coram Te Domino & DEO meo & expolio omni affectu, desiderio, cura, inclinatione ad res transitorias, & ita me expolio omniumq; terrenorum obliviscor, tanquam si in extremo articulo vitæ meæ & agonis constitutus essem, totum cor meum, affectus, desideria, cogitationes transferēdo in Te DEUM meum, & totum me demergo in Te, velut stilla roris in profundo mari, desiderans totus perire in me, inveniri in Te. Vale

Vale munde immunde, deceptio hominum, Vale caro fætidiſſima, vermibus conſumenda, brevi in pulverem redigenda.

Valete omnes res terrenæ omnes mundi vanitates, Contemno vos & omnia arbitror ut ſtercora, ut CHRI-STVM lucri faciam. O quanta cæcitas mea quod hucuſq; alicui vanitati adhæſerim.

Valete Amici, Fratres, Conſangvinei, domeſtici mei, à quibus omnibus ſeparabit me mors.

Valedico vobis omnibus, cum quibus aliquando manſi, converſatus ſum, & deprecor Vos quod aliquando vos verbo geſtu ac malo exemplo offenderim, ad iram occaſionem dederim. En me ſub plantas veſtras abjicio ad conculcandam & deprimendam omnem elationem meam.

Vale & Tu mi IESV in SSmo Euchariſtiæ SACRAMENTO, & humillime Te deprecor pro omnibus

meis

meis negligentijs, irreverentijs, ingratitudinibus in Tui usu, & quod Te non eo affectu adorabam, non ea frequentia visitabam, non eo fervore amabam, ac desiderio suscipiebam quo poteram, & debebam. Suscipe Domine in recompensationem meorum defectuum & tepidarum Communionum, omnes actus Sanctorum hominum devotè suscipientium te in Eucharistia. Accipe omnem Honorem, cultum adorationes quas habes à Sanctis Angelis, & Tibi dilectis animabus.

Confiteantur Tibi omnia opera tua & Sancti tui benedicant tibi.

Valedico pariter & tibi ô Sanctissima DEI Mater ac Virgo, ubicunq; terrarum in imaginibus miraculosis, in omnibus illis locis veneror Te, saluto te, Benedico te, ijs affectibus & devotione, quibus te omnes alij salutant, salutarunt, & salutabunt usq; ad Consummationem sæculi. Depre-

cor te quod in vita mea non ea subjectione constantia Tibi servivi, Te amavi, prout potui ac debui.

Valedico & Tibi Sancta Mater Ecclesia & SOCIETAS militans tanquam Matri amantissimæ. Confundor & erubesco, quod degener hucusq; vixerim. O utinam saltem hoc Extremum vitæ meæ, quam Sanctissime transigere valeam? Protestor quòd velim vivere & mori tanqvam subjectissimum & obedientissimum Sanctæ Matris Ecclesiæ & SOCIETATIS mancipium, in PAUPERTATE, CASTITATE & OBEDIENTIA, Perfice Domine fragilem voluntatem meam.

ACTUS

Intentionis, ad rectè Obeundam Mortem.

DEsidero mori, agnoscens me esse hominem mortalem, & hanc circa me voluntatis Divinæ dispositionem.

Volo

Volo mori, ut reddam debitum naturæ, Tibi DEO meo, Authori naturæ, exſolvamq; pœnam peccati.

Volo mori ut imiter Dominum meum IESVM Chriſtum, Beatiſſimam, ac Sanctos morientes.

Volo mori ut per ultimum exſpirium, recognoſcam Supremum Dominum Te DEVS meus, illiq; integerrime ſubijciar.

Volo mori ut Creatorem ac Patrem meum perfecte in patria amare incipiam. Ante te Domine voluntas & deſiderium meum.

ACTUS
Conformitatis cum Divina Voluntate.

Fiat Voluntas tua Domine de me, ſicut in Cælo & in terra, ſicut in tempore & æternitate, ſicut in vita ita & in morte. Depono me in ſinum Sapientiſſimæ & benevolentiſſimæ Providentiæ tuæ, velut particellam Operis manuum tuarum, ut facias de me quæ placita ſunt ante te.

In me, de me, circa me, circa vitám meam, ejusq; omnes Circumstantias, non mea cæca, imprudens in omnia mala præceps, ad bonum tarda, sed tua Sanctissima, Sapientissima, dignissima fiat voluntas. Protestor quod in nullo velim, refragari tuæ voluntati, desideroq; ut omnes nutus mei tam interni quàm externi, ultimumq; in morte exspirium sit conformatio mei cum Tua voluntate.

ACTUS

Humiliationis sui, & Adorationis DEI.

DEprimo me coram Te Domine DEus meus, & infra omnes abyssos nihileitatis meæ abjcio me, in pulverem vilitatis meæ, pono os meum, tota Profunditate submissionis meæ adorando te, debitumq; honorem & adorationem deferendo Tibi. Adoro Te eo affectu & mei exinanitione quo affectu adorant te Sancti Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Marty-

Martyres, Confeſſores, Virgines, atq; omnis Cætus Electorum tuorum. Sis Benedictus Domine in æternum, & adoret te omnis creatura. Deſidero ut omnes atomi ſubſtantiæ meæ omneſq; motus & actiones meæ, atq; ultimum in morte reſpirium, ſit tibi debita adoratio & honor, mea exinanitio.

ACTVS FIDEI

CRedo in te, & tibi Domine DEus meus, teq; Trinum in Perſonis, unum in Natura confiteor. Credo omnia quæcunq; mihi per Sanctam Eccleſiam credenda propoſuiſti, eâq; veritatem coram omnibus creaturis profiteor ſubijciendo & captivando intellectum meum in obſequium veræ Fidei.

In hac Fide vivere in hac Fide mori deſidero. In Vnione Fidei Doctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, totiusq; Eccleſiæ Chriſti.

Quis mihi tribuat, ut proprio Sanguine huic veritati subscribere & vitâ meâ consignare valeam. Vltimum respirium in agone meo sit hujus Fidei Professio.

ACTVS SPEI.

SCio Domine vilitatem meam & peccata mea agnosco, super numerum arenæ multiplîcatæ sunt iniquitates meæ, propter quas mereor projici abs te, quia tamen magna est multitudo misericordiarum & miserationum tuarum, ac infinita Bonitas tua, ideo spero in te, & cum omni fiducia recurro ad te Dominum misericordiarum & DEVM totius consolationis, sperans quod licet indignum recipies in gratiam tuam, & participem facies gloriæ cælestis, spero quod non permittes perire opus manuum tuarum, propter Bonitatem & misericordiam tuam spero in meritis, Sanguine, Passione, morte CHRISTI ad quam refugio in vita & morte, spero

in

in singulari Protectione Beatissimæ Virginis MARIÆ cui me totū committo; in Sanctorum Patrocinio, quod imploro.

ACTUS AMORIS DEI.

O Bonitas infinita DEUS meus, amo Te super omnia & appretio, quia summum & omni amore dignissimum bonum es, amo autem Te amore infinito, & ex toto corde meo, omnium aliarum rerum creatarum excludendo affectus, Accende Domine cor meum ignita vi amoris tui.

Amo Te ex tota mente mea, desiderando de Te tantum, aut propter te cogitationes in mente mea fovere.

Amo Te ex tota anima mea, ex totis viribus meis, volendo totum me tuis obsequijs & gloriæ impendere. O DEVS qui es ignis inextingvibilis & omnia inflammans, ardeam quæso ita amore Tui, ut præ vehementia amoris totus deficiam & consumar,

in

Ad M. D. G. B. V. H. OO. SS.
Cultum & Venerationem.

Domus ... ad S. ... pro Novitiis

o Sa
nia p
mmum
D.SS.
em.

Domus Probationis Soc. de Jesu Viennæ

S. ~~Probatio Calami~~

Religio Soc. Jesu [illegible] est